IULIO · CAESARI

LEOPOLDO · SCHMIDTIO

PRAECEPTORIBUS · CARISSIMIS

DE

C. VALERII FLACCI

TROPIS ET FIGURIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINIS
AUCTORITATE ET CONSENSU

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XX. MENSIS MARTII

PUBLICE DEFENDET

HERMANNUS GEBBING
VEENENSIS.

MARBURGI CATTORUM
TYPIS ACADEMICIS ROBERTI FRIEDRICH.
MDCCCLXXVIII.

A perlegendis C. Valerii Flacci Argonauticon libris per longum tempus sine dubio multi non tam contorta et obscurata eius oratione, quam corruptelis et vitiis, quibus editiones scatebant, deterrebantur, praesertim cum editio, quae vocatur critica, deesset. Itaque Georgius Thilo, quod anno h. s. LXIII scripturas librorum ms. et praecipue libri Vaticani, unius in restituendis Valerii verbis ducis [1]), accuratissime collectas edidit, de Valerio optime meritus est. Qua editione cum emendatio Valerii librorum firmum fundamentum nacta esset, complures viri doctissimi operam dederunt, ut tandem libri satis boni et elegantis scriptoris persanarentur, quod plurimi loci exstabant, qui con-

[1]) cfr. Thilo proleg. editioni adiunct. p. XL sqq., cui accedunt Schenkelius (praef. p. IV et in libello, cui inscripsit »Studien zu den Argonautica des Val. Flacc.« act. acad. Vindob. Philos.-hist. Classe LXVIII. B. III. Heft), Madvigius adv. crit. vol. II p. 133, Baehrensius praef. p. IX sqq. G. Meynckium autem (Quaest. Val. Bonnae 1865) Belgico codici plus ponderis tribuendum esse luculenter demonstrasse Eyssenhardtius (emend. Val. Mus. Rhen. vol. XVII p. 378 et p. 384, Liter. Centralblatt 1864 p. 520 et ib. 1867 p. 22) et Br. Hirschwaelderus (Curae criticae in C. Val. Fl. Arg. Vratisl. 1870 p. 5) putaverunt. Loehbachius, qui olim (Obs. crit. Antonnaci 1869 p. 2) cum Meynckio fecit, postea (Bemerkungen zu Val. Fl. Mainz 1876 p. 3) Thiloni astipulatus est. Meynckii in partes animum suum inclinare Braunius quoque profitetur: Obs. crit. et exeg. in C. Val. Fl. Marburgi 1869 p. 6. Reussius (obs. Val. Marburgi 1871 p. 23) non satis exploratum nos habere dicit, qua singuli codices valeant auctoritate. Barthius, Weichertus, Ph. Wagnerus Vaticanum ullius esse pretii negant, cum Heinsius plurimi eum aestimet.

iecturis indigerent. Artem autem criticam non angustioribus terminis esse coercendam, sed interdum violentiores mutationes adhiberi necesse esse, iure Ph. Wagnerus[1]), M. Hauptius[2]), Schenkelius[3]), Baehrensius[4]) dixerunt. Quibus a viris cum artem criticam multis locis satis libere exercitam esse probem, tamen ab altera parte M. Schmitzio quoque assentiendum est, qui dicit[5]), nimium mutandi studium quam maxime reprimendum esse, primum quod Valerius libros non satis perpoliverit et imperfectos nobis reliquerit[6]), deinde quod saepissime propter proprium Valerii dicendi genus non emendatione, sed explicatione opus sit. Neque enim Valerius aeque ac Vergilius est iudicandus, et nonnulla, quae apud hunc omnino ferri non possent, apud illum nobis sine ulla offensione esse debent. Sermo enim non est res stabilis et quae mutari non possit, sed suum cuique scriptori genus dicendi est. Valerius autem utitur sermone duro atque horrido, versus saepe male nectuntur vel in transitu aliquod vinculum deest, ut enuntiationes nullis aut lenissimis copulis inter se implicatae contineantur, sententiae ordo aliquoties turbatus est, vocabulorum series valde confunditur, multique loci magna obscuritate et brevitate laborant, quo fit, ut multa singularia et multae ab usu bonorum scriptorum discrepantiae inveniantur. Genere dicendi magis quam vix alius discedit a genere sermonis non solum optimorum scriptorum, sed etiam poetarum illius temporis, quibus liberrimam consuetudinem scribendi fuisse notissimum est. »Poema, inquit Madvigius[7]), tumidam habet sententiarum et imaginum formam, molestam et affectatam elocutionem.« Cum Valerius diligentissimus sit, tamen sermo eius saepissime durus est. Itaque Baehrensius

---

[1]) Philologus tom. XX p. 627. — [2]) Hermes tom. III p. 212 sq. — [3]) praef. p. V. — [4]) praef. p. XIII. — [5]) De Valer. Fl. dicendi genere quaestiones, Monast. 1872 p. 3. — [6]) Thilo prol. p. XXVI sqq. et Schenkelius Studien l. l. p. 279 sqq. — Baehrensius in praef. p. IV sq. aliter iudicat, sed ipse dicit: licet argumentatio nostra fundamento innitatur debili. Jahn. ann. tom. LXXXIX p. 391 sqq. Ph. Wagnerus sententiam Thilonis refutare conatur. — [7]) l. l. p. 134.

vituperandus est[1]), qui et saepius nimia violentia et audacia nonnulla mutaverit, quae ex duriore dicendi genere explicari possint, et complures coniecturas audaciores, quae parvam probabilitatem prae se ferant, receperit et alios editores, praecipue Schenkelium, qui traditam lectionem quam maxime servant, aliquoties sine causa vehementius accusaverit. Supremam legem in Valerio emendando eam debere esse censeo, ea sola mutari, quae explicari non possint. Nam si aliter statueremus et omnia ad usum bonorum scriptorum revocare vellemus, plurima mutanda essent. Nescio an Baehrensius id assequi voluerit, quod Ph. Wagnerus[2]) proposuit et cupivit: Um aber das grössere an der römischen Literatur theilnehmende Publicum, das mehr nach Lesbarkeit als nach kritischer Correctheit fragt, zur Lectüre des Valerius einzuladen, wäre es zu möglichster

[1]) cfr. Schenkelius: Zeitschrift für die österreichischen Gymnasien 1875 p. 635 sqq. »Vaticanus inepte« vel »ineptissime« Baehrensius dicere solet, ubi saepius alii inepta reperire non possunt. Unum exemplum afferam, quo loco mutatione minime opus est. V, 618 sqq. dicitur Mars queri, Palladem Minyas, ut antea palam, tum etiam insidiis iuvare. Non quererer, inquit, si illa palam mecum certaret, quod libenter ei concedo. Sed aegre fero, quod nunc insidiis et dolo utitur. 628 sqq. legitur: num queror, exstructa quod vexerit ipsa carina vellera sacra meis sperantem avertere lucis quodque palam tutata viros? sic cetera pergat, si valet, insidiis quid nunc fallacibus ambit e. q. s. Baehrensius ad hos versus adnotat: »Postquam Phoebus se non de veteribus Palladis factis queri affirmavit, iam debuit afferre nova eius quae sibi dolori essent facinora. 631 quid non scripsi, quid nunc V inepte«. Certe queritur Mars (non Phoebus) de novis Palladis facinoribus. Dolo enim, non, ut antea, palam eam secum certare indignatur. Cum apertissimum sit, Palladem dolo uti, Baehrensii »quid non« sententiae totius loci contradicit. cfr. v. 621 ambitumque senem, et v. 662, quo loco Pallas se defendit et suum pacis amorem Martis bellandi cupidini anteponit: an nullas praeferre preces, nec foedera regis ulla sequi, caeca sed cuncta inpellere pugna debuimus? sic Thraces agunt, sic turbidus iste, e. q. s. V. 662 Baehrensius Burmannum secutus »praeferre« sine causa in »perferre« mutavit. »Praeferre« autem multo melius est, cum valeat idem quod »ante precibus quam armis rem tentare«. — M. Bonnetius quoque (Revue critique 1876 p. 11) in v. 630 sq. explicandis Baehrensium errare demonstravit. — [2]) Jahn. ann. l. l. p. 407.

Beseitigung der immer wiederkehrenden Hemmnisse wünschenswerth, eine Ausgabe zu veranstalten, in welcher ohne Weiteres alle vorhandenen an sich probablen, wenn auch kühneren Conjecturen in den Text genommen würden. Similiter de Baehrensii editione iudicat Bonnetius [1]: Il y a de véritables négligences, des corrections visiblement irréfléchies et inadmissibles; il y en a même, si nous entendons bien M. B. (p. XIII), dont il reconnaît l'insuffisance, et qu'il a introduites dans le texte seulement pour le rendre lisible, comme on dit; procédé à peine excusable dans des éditions destinées aux commençants.

Quod ad genus dicendi Valerii attinet, quamquam J. C. Scaligero non adstipulor, qui dicit, eum penitus nudum esse Gratiarum comitate, tamen minime probare possum iudicium Heinsii, qui nimis auctae virtutis Valerii praeco est. Verba eius sunt: »Concinna omnia ac castigata enitent; tantum artis, ingenii, doctrinae, tantum orationis citra tumorem clementer exurgentis candidaeque ac argumento suo paris illic renidet passim, ut ipso carminis successu summa consecutus videatur, et reliquis omnibus praeripuisse palmam facile sit arbitrandus«. Quibus verbis Heinsium nimis laudasse Valerium nemo negabit. Ph. Wagnerus [2]) quoque eum magnis laudibus affecit: Aus allen unverderbten Stellen leuchtet hervor, dass eine ungesuchte Eleganz, eine ansprechende, wenn auch mitunter ans Kühne grenzende Knappheit dem Valerius eigenthümlich ist. Ex exemplis, quae infra afferam, Ph. Wagnerum Valerii admiratorem solas eius virtutes vidisse iam intelleges. Generis autem dicendi cognitio cum sit maximi momenti in emendando quovis scriptore, M. Schmitzius nonnullas quaestiones, quae ad verborum collocationem et ad dicendi brevitatem potissimum spectant, tractavit, de tropis et figuris nonnullis Valerii ego disserere constitui, cui rei ab aliis operam datam non invenerim et labor eo collatus non periisse visus sit. Solis de gravissimis tropis et figuris dicam, quoniam ad disserendum de omnibus tempus et vires

---

[1]) l. l. p. 9. — [2]) Jahn. ann. l. l. p. 382.

me deficiunt, et melius esse reor, me paucas res uberius tractare quam multas partes tantum tangere. Itaque, ut penitus cognoscas, quantum Valerius ab usu bonorum scriptorum atque etiam Vergilii, quem saepissime imitatus est, recedat, semper multis exemplis sententias meas probare conabor.

Disserendum autem mihi erit bipartito, et priore quidem parte de tropis, posteriore de figuris dicam. Iam Cicero Graecos secutus haec duo genera exornationum distinxit, cum legatur Brut. §. 69: Ornari orationem Graeci putant, si verborum immutationibus utantur, quos appellant τρόπους, et sententiarum orationisque formis, quae vocant σχήματα. Utriusque rei differentia a Quintiliano inst. or. IX, 1, 4 hoc modo signatur: Est tropos sermo a naturali et principali significatione translatus ad aliam ornandae orationis gratia, vel, ut plerique grammatici definiunt, dictio ab eo loco, in quo propria est, translata in eum, in quo propria non est: figura, sicut nomine ipso patet, conformatio quaedam orationis remota a communi et primum se offerente ratione. Sed cum, ut ex hac definitione satis intellegi potest, duae res perquam tenui limite dividantur, quod utraque de recta et simplici ratione cum aliqua dicendi virtute deflectitur, mirandum non est, quod non solum Rhetor. ad C. Herennium IV, 42 commune nomen »exornationes« adhibitum est, sed etiam alii figuras tropos esse existimaverunt, alii, ut C. Artorius Proculus, tropis figurarum nomen inposuerunt. Optimum igitur est, cum multiplex et scrupulosa disputatio ad praesens meum propositum non pertineat[1]), in his sequi cum Quintiliano dignissimo, cui astipuler, maxime recepta et rem ipsam, quocumque appellabitur modo, intellegere. Nihil enim refert, quo modo res nominetur, dummodo ad Valerii genus dicendi proponendum apta sit. Et sicut homines, inquit Quintilianus, si aliud acceperunt, quam quod habuerant, nomen, idem sunt tamen, ita haec, de quibus loquimur, sive tropi sive figurae dicuntur, idem efficient.

---

[1]) Uberius hanc rem tractaverunt G. Dannehl: De tropis. Particula I, et Volkmann: Die Rhetorik der Griechen und Römer.

I. De tropis.

Tropi, quos interdum modos vel motus vel mores clarissimi Romanorum auctores vocant, a Quintiliano VIII, 6, 1 ita definiuntur: Tropus est verbi vel sermonis a propia significatione in aliam cum virtute mutatio. Ut Graecorum quoque praecepta respiciamus, laudandae sunt definitiones Tryph. (Walz. Rhet. Gr. vol. VIII p. 728): *τρόπος ἐστὶ λόγος κατὰ παρατροπὴν τοῦ κυρίου λεγόμενος κατά τινα δήλωσιν κοσμιωτέραν, ἢ κατὰ τὸ ἀναγκαῖον*, Greg. Cor. (ib. p. 763): *τρόπος ἐστὶ λέξεως φράσις ἐκ τῆς καθ' ἑαυτὴν ὁπωσοῦν ἰδιότητος μετατροπὴν εἰληφυῖα· διὸ καὶ τρόπος καλεῖται· παρείληπται δὲ ἤτοι χρείας ἕνεκα ἢ κόσμου περὶ τὴν φράσιν*, Hermog. (*περὶ εὑρέσεων* Walz. Rh. Gr. vol. III p. 175): *τροπὴ ἐστὶ τὸ μὴ ἐξ ὑποκειμένου πράγματος ἀλλοτρίου δὲ σημαντικὸν ὄνομα θεῖναι, κοινὸν εἶναι δυνάμενον καὶ τοῦ ὑποκειμένου καὶ τοῦ ἔξωθεν ἐμφαινομένου.* De numero et generibus troporum ut nunc ita antiquis temporibus inter grammaticos maxima dissensio erat, qua de re Quintilianus VIII, 6, 1 dicit: Circa quem (i. e. tropum) inexplicabilis et grammaticis inter ipsos et philosophis pugna est, quae sint genera, quae species, qui numerus, quis cuique subiciatur. Ego omissis, quae nihil ad meum consilium pertinent, cavillationibus, gravissimos Valerii tropos exequar, haec modo in his adnotasse cum Quintiliano contentus, quosdam gratia significationis, quosdam decoris adsumi, et esse alios in verbis propriis, alios in translatis, vertique formas non verborum modo, sed et sensuum et compositionis.

A. De translatione.

Quint. VIII, 6, 4 sqq.: Incipiamus igitur ab eo, qui cum frequentissimus est tum longe pulcherrimus, translatione dico, quae *μεταφορά* graece vocatur. Quae quidem cum ita est ab

ipsa nobis concessa natura, ut indocti quoque ac non sentientes ea frequenter utantur, tum ita iucunda atque nitida, ut in oratione quamlibet clara proprio tamen lumine eluceat. Neque enim vulgaris esse neque humilis nec insuavis apte ac recte modo adscita potest. Copiam quoque sermonis auget permutando aut mutuando, quae non habet, quodque est difficillimum, praestat ne ulli rei nomen deesse videatur. Transfertur ergo nomen aut verbum ex eo loco, in quo proprium est, in eum, in quo aut proprium deest aut translatum proprio melius est. Id facimus, aut quia necesse est aut quia significantius est aut, ut dixi, quia decentius. Quibus Quintiliani verbis, cum veterum scriptorum de translationis vi et natura sententias et alii et Muetzellius[1]) exposuerit, pauca addenda sunt. Auctor ad Herennium hunc tropum definit (IV, 34, 45): Translatio est, cum verbum in quandam rem transferetur ex alia re, quod propter similitudinem recte videbitur posse transferri. Denique audiamus Tryphonem, qui dicit (l. l. p. 729): *μεταφορά ἐστι λέξις μεταφερομένη ἀπὸ τοῦ κυρίου ἐπὶ τὸ μὴ κύριον, ἐμφάσεως ἢ ὁμοιώσεως ἕνεκα.*

Scriptores Latini, praecipue poetae aevi Augustei, quos argenteae aetatis poetae secuti sunt, translationibus, quas ad orationem ornandam et res illustrandas valde pertinere intellegerent, frequenter usi sunt. Quam ob rem cum longum sit et parvi momenti, omnes translationes, quae apud Valerium inveniuntur, enumerari, de iis solis breviter disseram, quae aut raro vel nunquam ab aliis poetis usurpentur aut quibus poetae elegantia appareat vel eius dicendi ratio optime cognosci possit. Non raro enim apud Valerium multo insolentiores et audaciores translationes quam apud Vergilium inveniuntur, cuius rei veritatem ex exemplis, quae sequuntur, satis licet cognosci. Sed ad rem ipsam transeamus.

---

[1]) Programm des Joachimsthalschen Gymnasiums zu Berlin, 1842, p. 2 sqq.

a. Translationes verborum:

»Reserare, resolvere, solvere similiumque«: I, 655 sq.:[1]) emicuit reserata dies caelumque resolvit arcus. Tres hoc loco sunt iucundae translationes. Verbum emicandi saepius transfertur, ut Ov. met. XV, 67: emicuit nervo penetrabile telum. Rarius translatio verbi reserandi invenitur, ut Val. II, 438: reserans secreta Thyotes. Similes loci exstant Ov. met. XV, 145: et angustae reserabo oracula mentis, et Plin. Paneg. c. 58: aperire annum, reserare fastos. »Caelum resolvit« i. e. serenitatem reduxit. Idem significant verba, quae sequuntur: et in summos redierunt nubila montes, et Verg. Aen. I, 143[2]): collectasque fugat nubes solemque reducit, ib. III, 589, IV, 7, XI, 210. — Val. III, 1 sq.: tertia iam gelidas Tithonia solverat umbras exueratque polum. cfr. Aen. VIII, 591: tenebrasque resolvit. »Umbras solverat« et »exuerat polum«, qua translatione Valerius solus utitur, idem notant quod Aen. I, 255: caelum tempestatesque serenat, vel potius: polo detraxerat nubes tenebrosas imbriferasque. Nubes enim caelum tegentes quasi vestes aetheris sunt. — Val. IV, 703: metus curasque resolvere. Similem locum habes Verg. Georg. I, 302: invitat genialis hiemps curasque resolvit.

»Praecipitare«: Non raro hoc verbum etiam apud bonos scriptores idem valet quod accelerare, nimia festinatione urgere, cuius significationis Valerii exempla sunt: II, 390 sq.: Tiphynque vocat pelagoque parari praecipitat. IV, 626 sq.: socios praecipitat. V, 269: praecipitatque patres. Similes Vergilii loci exstant Aen. XI, 2 sq.: sociis dare tempus humandis praecipitant curae, II, 316 sq.: furor iraque mentem praecipitant, VIII, 443 et XII, 699: praecipitare moras. Singulari translatione utitur Valerius I, 755 sq.: flagrantes aras vestemque nemusque sacerdos praecipitat. Viri docti hanc audacem figuram

---

[1]) In adnotandis Valerii locis semper novissima Baehrensii editione usus sum. — [2]) In Vergilii locis notandis Ribbeckii editionem Teubnerianam adhibui.

moleste ferentes [1]) operam oleumque perdidisse editoribus videntur, quorum nemo sit commotus, ut lectionem traditam mutaret. Burmannus cum Pio »nemus« pro lignis subito ad sacrificium paratis dictum esse statuit, ut verbum nemoris ab Ovidio aliquot locis usurpatum est, sed non recte id facit. Iure suo J. A. Wagnerus Valerium non de parando, sed de finiendo sacrificio cogitasse dicit et explicat: »Properavit Aeson, ut deflagrarent arae, ut deponeret vestem sacram, ut nemore exiret«. Accedendum igitur hoc loco est Dorvilio [2]): »Malo, inquit, intricatius interpretari, quam emendare ita, ut etiam difficultates remaneant«. Reussius [3]) hunc locum tali modo emendare conatus est: »Flagrantique arae vestem vittamque sacerdos praecipitat. Clamore audito, inquit, Aeson extemplo finem facit sacrificandi vestitum sacerdotalem in flammas arae coniciens. Forma enim illa zeugmatis »praecipitare aras et vestem« durior est, quam quae vel Valerio tribuatur«. Quam coniecturam parvam probabilitatem prae se ferre unusquisque concedet.

»Induere, vestire«: II, 19 sq.: quos (gigantes) scopulis trabibusque parens miserata iugisque induit, i. e. in scopulos, arbores, montes mutavit. Similes Vergilii locos invenies Aen. I, 684: notos pueri puer indue voltus, VII, 19 sq.: quos hominum ex facie dea saeva potentibus herbis induerat Circe in voltus ac terga ferarum, ib. 415 sq.: Allecto torvam faciem et furialia membra exuit, in vultus sese transformat anilis. — Val. II, 398 sq.: thalamos excussaque vincla (coniugii) induere. IV, 509: eoas cinis induit urbes, i. e. cinere urbes orientis consperguntur et quasi vestiuntur. Similiter verbum vestiendi usurpatum est ib. 665 sq.: imber magno puppem procul aequore vestit, Aen. VI, 640: largior hic campos aether et lumine vestit,

---

[1]) Burmannus vult vittamque pecusque, Madvigius l. l. p. 137 vestemque penusque, Fr. Eyssenhardtius Mus. Rhen. l. l. p. 384 pro »nemusque« animumque, Kochius Mus. Rhen. tom. XVIII p. 163 manumque, Ph. Wagnerus Philol. l. l. p. 620 vittasque. Schenkelius Studien p. 273 nemus non male intellegit coronam. — [2]) ad Charitonem p. 410 ed. Lips. — [3]) l. l. p. 26.

Val. V, 565: qualis ab Oceano volucrum chorus aethera vestit. »Volucrum« enim Baehrensius pro »nitidum« scripsit, atque ego, cum stellas multo facilius quam aves aethera vestire dici non ignorem, cum eo facio, quod similis imago Vergilio usitata est. Legitur enim Aen. VII, 704 sq.: aeriam sed gurgite ab alto urgueri volucrum raucarum ad litora nubem, XII, 253: aetheraque obscurant pinnis, ib. 578: obumbrant aethera telis. Praeterea si Baehrensium sequimur, sequens versus, V, 566: qualibus adsurgens nox aurea cingitur astris, cum Schenkelio uncis includendus non est. Iam Bulaeus: Nisi forte, inquit, unus superfluit, a glossatore insertus, aut a poeta quidem factus, sed ut eligeretur e duobus, qui sit optimus. Heinsio quoque versus 566 suspectus erat. Mutatione autem Baehrensii omnia recte se habent, Valerianumque usum minime ab hac audacia abhorrere puto. Sed ad similes Valerii translationes redeo. IV, 395: in miserae rursus bovis ora recurrit, i. e. resumit formam iuvencae. ib. 357: tum trepida Inachiae paelex subit ora iuvencae, i. e. Io trepida formam Inachiae iuvencae induit. J. A. Wagnerus errat, cum hunc locum explicat: blanda, quae pellicit, Iuno nempe, propius ad eam accedit. Iuno autem paelex, ut iam Lemairius vidit, quem nuper Loehbachius [1]) secutus est, prorsus nominari non potest.

»Implere«: Etiam apud pedestris orationis scriptores translationes huius verbi non paucae exstant, a Vergilio et Valerio valde amantur. Hae sunt gravissimae: II, 126: hanc his vocibus implet, i. e. urget vel stimulat. ib. 167: tum voce deos, tum questibus implent. VI, 726: caelum questibus implet. Idem est Verg. Aen. IX, 480. — Val. IV, 81: alacrem laetis hortatibus implet. VI, 630: animis moriturum ingentibus implet. Similiter legitur Aen. VII, 475: Rutulos animis audacibus implet. ib. III, 434: animum si veris implet Apollo. — Val. V, 83: magnis natorum laudibus implet. Similem significationem habet verbum urendi I, 476: magnorumque viros qui laudibus urat avorum,

[1]) Bemerkungen etc. p. 7.

quod verbum ab aliis nunquam in bonam partem usurpatum est. VI, 738: galeam singultibus implet. ib. 566: implevit plangore lacus. Similes loci sunt II, 458 sq.: avia gemitu, VI, 511: campos singultibus, VIII, 143: ululatibus auras, Verg. Georg. IV, 515: loca questibus, Aen. II, 769: clamore vias, III, 313: clamore locum, XI, 274: scopulos vocibus implere, II, 679: gemitu tectum replere, VII, 395: ululatibus aethera complere. Exemplum insolitae elocutionis Thilo esse vult Val. VI, 712: ventis oleam implet, quae verba recte explicat [1]: oleam ita collocat, ut ventis foventibus exposita sit. Ph. Wagnerus [2] laudat similem locum Aen. XII, 588: apes fumo implere. — Val. VIII, 237: implevit vultus honor. III, 220: aciem vanis discursibus implet, i. e. per totam aciem iterum iterumque currit, sed frustra currit. VII, 121 sq.: tum comitum visu fruitur miseranda suarum implerique nequit. IV, 323: expleri victor nequit, sed haec translatio usitata est. Vergilii eadem exempla habes Aen. I, 713: expleri mentem nequit, VIII, 265 sq.: nequeunt expleri corda tuendo terribilis oculos, ib. 618: expleri nequit.

»Fundere, perfundere, infundere, struere, caelare«: Verbo fundendi Valerius saepe metaphorice utitur. I, 446: ingrato Steropen quod fuderat arcu, i. e. sternerat. II, 107: Thracas fuderat armis. Similes Vergilii loci exstant Aen. I, 192 sq.: septem corpora fundat humi, XI, 665: humi corpora fundis. — Val. III, 499: fundit equos, i. e. agitat, incitat. Alia et satis audax translatio est VI, 391: omnes fluvium si fundat habenas, quo loco »harenas« Baehrensius emendandi iusto cupidior minus bene scripsit. IV, 679 sq.: permissis fundere habenis vela. VII, 180 sq.: sacras solita est ubi fundere taedas Colchis. I, 610 sq.: fundunt se carcere laeti Thraces equi. Similiter legimus Aen. XII, 122: agmina se fundunt portis. Etiam apud Ciceronem translationes tales inveniuntur, quales exstant I, 504 et V, 16: fundit voces, IV, 707: talia fundit, VIII, 69: carmina fundens, Aen. V, 482: talis effundit voces, III, 344: talia fundebat.

---

[1]) prol. p. XVIII. — [2]) Jahn. ann. l. l. p. 385.

— Val. V, 365: mole nova et roseae perfudit luce iuventae, quod audacius dictum est quam Aen. I, 590 sq.: lumenque iuventae purpureum et laetos oculis adflarat honores. Val. IV, 551 sq.: tam largus honos, tam mira senectae maiestas infusa. Similis translatio invenitur Aen. VI, 726 sq.: totamque infusa per artus mens agitat molem. — Val. I, 428 sqq.: quod gemina mater spectabile tela duxit opus; bis Taygeton silvasque comantes struxerat, Eurotan molli bis fuderat auro. Verbum struendi montis altitudinem arborumque proceritatem, verbum fundendi lenem fluvii lapsum bene exprimit. Translatio huius generis, quae apud alios poetas non reperitur, est V, 6 sq.: caelata velamina, i. e. acu picta et varie ornata. Res intextae caelaturae speciem habent. Singularis translatio verbi struendi legitur I, 535: cum varios struerem per saecula reges, i. e. cum longam regum vel potius regnantium populorum seriem per plura saecula ordinarem. Slothouwerus, cui Schenkelius accedit, »varias — leges« coniecit. Sed ego cum Loehbachio[1]) facio, qui explicat: Unter reges sind die in den verschiedenen Perioden der Geschichte herrschenden Völker zu verstehen, wie dies aus v. 543 erhellt. Usitatiores huius verbi translationes inveniuntur III, 617: Scythicis struerem cum funera terris. VI, 728: ut struerem pugnas.

»Accendere, ardere, flammare, fluctuare, ignescere, radiare, undare«: V, 369: saevo cum nox accenditur auro, i. e. splendore et luce sua tenebras noctis Sirius vincit. Similis locus exstat Sil. XV, 678: et gemmis galeam, clipeumque accenderat auro. Val. VIII, 115: nubibus accensis. III, 411: oriens accenderit undas. »Accenderit« pro »ascenderit«, quod verbum in Vaticano est, Burmanno debetur, et miror, quod Baehrensius solus eius coniecturam in seriem verborum recepit, cum multo magis quam lectio tradita placeat et mutatio lenissima sit. Accedit quod Vergilius, quem in orationis formulis et sententiis saepissime Valerium imitatum esse inter omnes constat, non

[1]) Studien p. 6.

raro similes locos praebet, ut Georg. IV, 401: medios cum sol accenderit aestus. — Val. III, 340: dat pictas auro adque ardentes murice vestes. Apud Vergilium translationes verbi ardendi habes Aen. IV, 262: Tyrioque ardebat murice laena, XI, 602: campique armis sublimibus ardent. — Val. V, 177: sol propius flammabat aquas. Simili modo legitur Stat. Achill. I, 297: illius roseo flammatur purpura vultu. Verbum flammandi singulariter usurpatum est Val. I, 108 sq.: Arcadio flammata veneno tela, i. e. ut J. A. Wagnerus recte exponit, veneno imbuta, ut ardorem in venis excitarent et vulnus quodque letale facerent. Sic Aen. IX, 773: ferrumque armare veneno, X, 140: calamos armare veneno, XII, 857: (sagittam) armatam saevi felle veneni, Val. VIII, 302: armant alii picis unguine flammas. IV, 655: flammata pudore iuventus, quo loco flammandi verbum, quod proprie de rebus inanimis adhibetur, in hominem transfertur. Alia exempla huius generis sunt VIII, 300 et Aen. III, 330: flammatus amore, Aen. I, 50: flammato corde, ib. IV, 54: animum flammavit amore, Tac. Hist. II, 74, IV, 24. — Val. II, 385: monitis accensus amaris. IV, 354: Iuno accensa cura iugali. VII, 637: accensae cohortes, Aen. IV, 203: rumore accensus amaro, X, 368: dictis virtutem accendit amaris. — Val. V, 520: furiis ignescit opertis, Aen. IX, 66: ignescunt irae. — Val. VIII, 257: rosea radiante natura. Eadem translatione utitur Claudianus in consul. Olybr. et Prob. 118: placidi radiant in casside vultus, et de IV cons. Honor. Aug. 517: quantus in ore pater radiat. — Val. III, 577 sq.: pectora nautis congelat hiberni vultus Iovis. Idem est Martial. epigr. XIV, 147: stragula purpureis lucent villosa tapetis: quid prodest, si te congelat uxor anus? — Val. III, 637: at pius ingenti Telamon iam fluctuat ira. Vergilius translationes verbi fluctuandi adhibet Aen. XII, 527: fluctuat ira intus, IV, 532: magnoque irarum fluctuat aestu, VIII, 19: magno curarum fluctuat aestu. Eandem significationem apud Valerium verbum undandi habet V, 303: undans curis, i. e. exagitatus. Saepius hoc verbum de flamma et fumo undae instar exsurgentibus a poetis usurpatur, ut Val. II, 196:

undans pinus, i. e. fax, Aen. V, 146: undantia lora. Fortasse hoc modo explicandum est VI, 618: terrificis undantem crinibus Hebrum, sed hoc loco »undare« idem valere potest quod »abundare«, ut I, 539: undat equis floretque viris (regio), et III, 117: undantes mensas.

»Immolare, exigere«: II, 569 immolare pro trucidare legitur, quam translationem Vergilius quoque adhibet Aen. X, 540 sq.: lapsumque superstans immolet. Val. VI, 572: illum exigit hasta, i. e. transfigit, transfodit, quae translatio nisi hoc loco non invenitur, quam ob causam Baehrensius »excipit« scripsit, sed ei accedendum non esse puto.

»Damnare«: Exquisite verbum damnandi a Valerio usurpatum est I, 70: flava quercum damnavit arista, pro: quercus magna parvae aristae cedere cogitur. Vergilius, quem hoc quoque loco Valerius imitatus est, verbum mutandi adhibuit Georg. I, 7 sq.: vestro si munere tellus Chaoniam pingui glandem mutavit arista. — Val. II, 153: damnata paelice proles. Paelicis causa pater filios prioris uxoris minus amat atque etiam neglegit.

»Luere«: III, 407: insontes errore luit, i. e. solvit, lustrat, purgat, quae significatio apud alios poetas non invenitur. II, 569: luat responsa, i. e. expiet, avertat, irrita faciat. Baehrensius non male quidem »ludat« coniecit, sed mutatione opus non est, praesertim cum Livius quoque similem translationem habeat X, 28: datum hoc nostro generi est, ut luendis periculis publicis piacula simus.

»Retentare, praetentare«: III, 97: iras retentant, i. e. reprimunt, quam translationem apud Valerium solum invenio. VI, 75: praetentans vulnera, pro »praetendens«, quod verbum Slothouwerus legi vult, quem Baehrensius quoque secutus est.

»Percellere, quatere, rumpere, pellere«: II, 91: vox inde repens ut perculit urbem, ubi Burmannus »percutit« mavult, sed »perculit« recte non damnat. »Perculit urbem« idem est quod: in urbem intrare et civium aures ferire. I, 743: quatiuntque truces oracula Colchos. V, 272: omnemque quatit rumo-

ribus arcton, sed translationes huius verbi usitatae sunt. Vergilii exemplum habes Aen. IX, 608: quatit oppida bello. — Val. V, 340: lumina rumpere fletu. IV, 88 sq.: (carmen) quod simul adsumpta pulsum fide, luctus et irae et labor et dulces cedunt e pectore nati. »Carmen pulsum« est singularis translatio hac sententia: carmen pulsando lyram modulatum. Sed iam Burmannus editionem Bononiensem secutus scripsit: quo simul adsumpta pulsus fide luctus etc., cui accedunt Ph. Wagnerus[1]) et Reussius[2]), cuius mutatio »nati« in »amici« prorsus supervacanea est. »Neque cuiquam, puto, inquit, satisfacere J. A. Wagneri interpretationem, tantum fuisse cantus Orphici dulcedinem, ut, qui eum audiret, cuiuscunque doloris adeoque desiderii dulcissimorum liberorum oblitus fuisset«. Satisfecit autem haec Wagneri explicatio Thiloni et Schenkelio et, quod multo maius est, Baehrensio, quorum Thilo[3]) bene de verbis »carmen pulsum« dicit: »Lyram pellere cum dictio sit poetis frequentata, Valerius carmen quoque, quod e fidibus pulsatis quasi eliceretur, pelli dixit«. Praeterea laudat VI, 310, ubi ad exemplum usitatae dictionis, quae est »vitam vel fata abrumpere«, ut Aen. IV, 631: abrumpere lucem, ib. VIII, 579: abrumpere vitam, hanc dictionem habes: segnes metas abrumpere, i. e. vitae, et VII, 533, ubi Valerius, ut Thilonis verbis utar, Vergilium, Ovidium, alios, qui dolore vel animi motibus carpi aliquem recte dixerunt, inepte imitatus haec posuit: heu tantis iterum carpende periclis, quae verba Ph. Wagnerus[4]) explicat: carpende cura, quam excitant pericula. »Nati« autem pro »natorum memoria« eadem brevitate dictum est ut I, 696 sq.: medioque in crimine patrem liquerit, i. e. in criminis suspicione. VI, 297 sq.: patris immemor, pro: monitorum patris. V, 27: ille recens oculis intervolat Idmon, i. e. imago eius vel memoria. Thilo[5]) nimium hanc brevitatem vituperat his verbis: »ei brevitatis generi poeta studuit, quod propter obscuritatem vitiosum est et scriptoris aut festinantis nimium aut iudicare nescientis«.

[1]) Jahn. ann. l. l. p. 383. — [2]) l. l. p. 34. — [3]) prol. p. XV. — [4]) Jahn. ann. l. l. p. 383. — [5]) prol. p. XVI.

Sed iam ad alias translationes satis audaces enumerandas transeamus.

Translatio, quae apud Valerium solum invenitur, exstat II, 6 sq.: Pelion templaque mergunt, i. e. post se nautae ita relinquunt, ut ex oculis dimittant. Pelion et templa in mare mergi iis, qui in altum feruntur, videntur. V, 107 sq.: alta Carambis raditur, i. e. praeteritur. Idem est Aen. VII, 10: proxima Circaeae raduntur litora terrae. — Val. V, 270: spem serentem, inusitata quidem, sed exquisita neque iniucunda translatio, quam cur Baehrensius codicem C et Sabellicum secutus mutaverit in minus elegans verbum »ferentem«, omnino causam non video. VI, 340: Edonis nutritum missile ventis, i. e. hasta, cuius lignum ventosis locis crevit et duratum est. Valerius hoc loco imitatus est Hom. Il. XI, 256: ἀνεμοτρεφὲς ἔγχος. — V, 578 sq.: quem balteus subligat, i. e. cingit, quae significatio nisi hoc loco non invenitur. VII, 175: quis mota loco labefactaque cessit. A gladiatoribus haec translatio sumpta est idemque valet quod »turbata animo«. Similes Vergilii locos habes Aen. VII, 332 sq.: infractave cedat fama loco, IX, 220: nec mea iam mutata loco sententia cedit. — Singularem Valerii translationem invenies VII, 483: cur nullos stringunt tua lumina fletus. Hanc locutionem Pius sic explicat: »stringunt, exprimunt; metaphora a spongia deducta, quae stricta et expressa liquorem exsudat«. Viri docti audaciorem translationem iure aegre ferentes alii alias emendationes proposuerunt, ut Schenkelius: cur nulli tinguunt t. l. f., Loehbachius[1]): nullos stillant t. l. f., optimeque mea sententia Baehrensius: nullos fundunt t. l. f. V, 370 sq.: hebet Arcas et ingens Iuppiter, i. e. minus splendet vel obscuratur. I, 53 et VII, 156: hebet ardor. IV, 41: corpus hebet somno, Aen. V, 396: sanguis hebet. — Val. I, 262 sq.: stupet in ducibus magnumque sonantes haurit. Achilles puerulus a Chirone magistro, celeberrimo antiquitatis paedagogo, in castra ducitur, ut patrem Pelea ante obitum salutet. Hauriendi verbi translatio

---

[1]) Studien p. 14.

a bibendi aviditate ducta idem valet quod Aen. IV, 79: pendet narrantis ab ore. Apud Vergilium similes verbi hauriendi translationes exstant Aen. VI, 559: strepitumque exterritus hausit. X, 899: haurire auras. — Val. V, 564: variis floret via discolor armis. »Florere«, quod verbum proprie de floribus vel arboribus dicitur, hoc loco in viam transfertur. Apud alios quoque poetas hoc verbum saepius pro »nitere, splendere« usurpatum est, ut Aen. VII, 804 et XI, 433: florentis aere catervas, Stat. Theb. I, 704 sq.: aetherii dono cessere parentis aeternum florere genas, i. e. imberbem et nitidum esse. — Eleganter verbum innatandi de unda in crinem Valerius transfert III, 525 sq.: tenui vagus innatat unda crinis. ib. 456: frondentibus aris, ubi frondendi verbum in rem ab hominibus factam poeta transfert. cfr. Varr. de ling. Lat. VI, 3: velatae frondentes comae, i. e. fronde coronatae. — Val. VI, 367 sq.: in clipei septemplicis improbus orbem arietat, ubi verbum arietandi, quod proprie de bestiis vel potius de ariete adhibetur, in hominem transfertur. Idem est Aen. XI, 890: arietat in portas.

b. Translationes substantivorum:

Cum hac quoque in re saepissime aperta imitatio Vergilii, cuius translationes substantivorum iam Braumüllerus [1]) bene collegit, statui possit, hanc partem brevissime absolvam.

Ut VI, 606 »sidus« in hominem (Aen. II, 281 legitur »lux Dardaniae«), sic vocabulum crinis, quod proprie de hominibus adhibetur, in ignem et stellas, quae crinium similitudinem habent, transfertur Val. I, 205 sq.: protulit ut crinem densis luctatus in extis ignis, II, 42: effusis stellatus crinibus aether. Similem translationem Vergilius usurpat Aen. V, 528: crinemque volantia sidera ducunt. — Val. III, 709 sq.: (hasta) matre perempta obit pugnas. Mater est arbor, unde hasta producta est.

---

[1]) Ueber Tropen und Figuren in Vergil's Aeneis. Erster Theil. Der tropische Gebrauch des Substantivums.

Eadem translatio exstat Aen. XII, 208 sq.: (sceptrum) cum semel in silvis imo de stirpe recisum matre caret. Conferatur Horatii illud: pinus, silvae filia nobilis. Val. VI, 39: pingui nunquam ubere defit, i. e., ut J. A. Wagnerus explicat, ob multitudinem incolarum non deest. Saepius a poetis, ut Aen. I, 531: ubere glaebae, »uber« pro ubertate et fertilitate soli vel arborum dicitur. »Sed notari meretur, inquit Burmannus, Valerium hoc vocabulo de proventu hominum uti, quo sensu an alius quis ceperit ignoro«.

I, 774: veteris sub nocte cupressi, i. e. umbra densa. VIII, 25: nemoris nox. VII, 598: iamque propinquanti noctem inplicat, i. e. fumum et tenebras. Similes Vergilii loci exstant Aen. III, 194 sq.: imber noctem hiememque ferens, Cul. 273 sq.: Tartara nocte tremenda obsita. — Eleganter vocabulum »nubes« de ebrietate et sopore dicitur, quibus mens quasi nube obruitur, Val. III, 66: nube meri, VIII, 81: primi percussus nube soporis, ut Stat. Achill. I, 646, Val. III, 573: nube mali percussus amor. Saepe »nubes« etiam ad significandam densam multitudinem nubis instar obumbrantem transfertur, ut Val. II, 521 sq.: totaque pharetrae nube premit, Verg. Aen. XII, 253 sq.: hostemque per auras facta nube premunt, IX, 33: hic subitam nigro glomerari pulvere nubem. — Val. VI, 261: si quis avem summi deducat ab aere rami, i. e. a fastigio, cacumine. Idem est Verg. Georg. II, 123 sq.: ubi aera vincere summum arboris haud ullae iactu potuere sagittae. — Val. V, 512: Taenarii chlamydem de sanguine aeni, i. e. purpura tinctam. De aliis humoribus alii quoque poetae verbo sanguinis utuntur. ib. 608: saxiferae surgat quibus imber habenae, i. e. magna multitudo. VI, 684 sq.: omnis in unum imber iit. Eadem translatio exstat Aen. XII, 284: ferreus ingruit imber. Val. VI, 611: »imber« nivem significat. ib. 186 sq.: thorax egerit imbres sanguineos. Sed »imber« saepius de quovis humore aut alia re, quae pluvii modo cadit, adhibetur. ib. 394 sq.: diluvio tali paribusque Ariasmenus urget excidiis, i. e. tali exercitu, qui sicut diluvium

terris immittitur. Recte Loehbachius[1]) Valerium contra Dorvillium defendit, qui non belle poetam voce diluvii usum esse contendit, cum propria et metaphorica locutio misceatur. Similis translatio vocabuli diluvii est Aen. VII, 228, ubi »diluvium« significat perniciem, excidium, quod omnibus aeque ac diluvium nocet. VII, 365 Valerius »aristae« pro herbis silvestribus posuit. Persius hoc substantivum III, 115 pro crinibus, qui cum inhorrescimus, erigi aristarum instar solent, Ausonius Mos. 85 et 119 pro ossiculis et spinis piscium usurpat.

Ut Vergilius, ita Valerius translationes verbi »habena« valde amat. Navibus saepe Valerius habenas tribuit: I, 687: volat immissis cava pinus habenis, IV, 679, V, 436, VIII, 139. Videas quoque Aen. VI, 1: classique inmittit habenas. Audacior Valerii translatio huius vocabuli invenitur VI, 390 sq.: qualiter exosus Pyrrhae genus aequora rursus Iuppiter adque omnes fluvium si fundat habenas, ubi, ut iam dixi, Baehrensius »harenas« scripsit, cum Vergilius quoque multis rebus habenas dederit. Legitur enim Aen. V, 662: furit immissis Volcanus habenis, XII, 499: irarumque omnis effundit habenas. Val. V, 518: Caucasus adque tuis quantum mitescat habenis, quo loco »habenis« pro imperio positum est. Similis Vergilii locus invenitur Aen. VII, 600: rerum reliquit habenas. — Val. I, 753 fragor pro rumore vel fama tumultuosa legitur, quod cum sine exemplo positum sit, Baehrensius »furor« legit. V, 365: mole nova perfudit, i. e. amplitudine, vi, robore. VI, 673: sed facibus, sed mole dei, i. e. maiestate, potentia. I, 757 sq.: quasi multa leo cunctatur in arta mole virum, i. e. densa turba. Similiter dictum est Aen. XII, 575: densaque ad muros mole feruntur. — Val. V, 369: saevo cum nox accenditur auro, i. e. aureo splendore. Eadem translatio exstat Ov. Met. IX, 688: spicis nitido flaventibus auro. — Translatio substantivi aspiraminis, quod apud Valerium solum legitur, exstat VI, 465: da, precor, artificis blanda aspiramina formae ornatusque tuos terra caeloque potentes.

[1]) Studien p. 11 sq.

II, 260 »tigres« Braunius[1]) feminas furentes dici infeliciter vult. Nam aut cum Volkmannio[2]) tigrides pelles tigrinae intellegendae sunt aut I. A. Wagnerus recte explicat: tantus erat sonitus tympanorum, ut aeneae tigrides et intus cavae resonarent. »Tigrides, inquit Braunius, fremere non possunt nisi vivi«, quod argumentum apud poetam non valet. Miraculum enim fit, cum Bacchus se piam precem Hypsipyles exaudivisse demonstrare velit[3]).

c. Translationes adiectivorum:

Valerius plurimis adiectivis metaphorice utitur. Sed cum alii quoque poetae multa eorum saepe usurpent, magni momenti non est omnia enumerari. Gravissima autem exempla mihi videntur II, 100: tacitae Martem tenuere catenae, i. e. furtim paratae. III, 602 sq.: longas litore voces spargere, i. e. longe sonantes. Burmannus mavult: longo litore, i. e. per omne litus, quamvis longum sit. II, 518: scopulosa terga, i. e. sicut scopuli prominentia vel squamis praeduris aspera. Idem est Stat. Achill. I, 56: scopulosaque cete. Val. III, 391: at quibus invito maduerunt sanguine dextrae, i. e. qui caedem fato casuve admiserunt. Similiter legitur Ov. ex Pont. II, 1, 16: invita saepe iuvamur ope, i. e. quae proficiscitur ab eo, qui iuvare nollet. Valerii autem loco hypallages quoque figura statui potest: quibus invitis e. q. s. Val. V, 22: praecipiti gravidus iam sorte parens, i. e. gravatus morte imminenti vel potius morti praematurae propinquus, quae I. A. Wagneri explicatio sine dubio melius est quam Burmanni: aevo gravis, senio, et ideo defectus viribus. Eiusdem adiectivi translationes inveniuntur Verg. Aen. IV, 229 sq.: sed fore qui gravidam imperiis belloque frementem Italiam regeret. ib. X, 87: gravidam bellis urbem. Saepius adiectivum »sidereus« metaphorice usurpatum invenimus, ut Val. V, 466: siderea ora ferens, Verg. Aen. XII, 167: sidereo flagrans clipeo. Val. VII, 136: sidereo nostri de sanguine Phrixi,

---

[1]) l. l. p. 39. — [2]) l. l. p. 360. — [3]) cfr. Schenk. Stud. p. 365.

quo loco »sidereo« pro caelesti positum est. V, 581: flammiger Sol, i. e. flammeus, ut Lucan. I, 415: flammiger Titan. Val. V, 611: alipes currus, i. e. celer. Eandem translationem habes Aen. XII, 484: alipedumque fugam cursu temptavit equorum. ib. VII, 277 »alipedes« sunt equi.

De prosopopoeia vel translatione animante [1]).

Translationis species est tropus, quem vocamus prosopopoeiam, qua rebus inanimatis vel motus animi vel actiones tribuuntur [2]). Cuius iucundi tropi apud omnes poetas non pauca exempla exstant. Miro autem modo Valerius hunc tropum amat, ut innumerabiles res inanimatae velut sentientes et animatae adspiciantur. Saepe personificatio invenitur, si poeta metonymia et hypallage utitur, de quibus infra uberius dicam. Exempla alia nunc plurima afferam, quibus similes Vergilii locos nonnullos addam. Hoc enim modo te facillime Valerii dicendi genus cogniturum esse spero, quod solum habeo propositum. Ac primum quidem disseram de iis rebus inanimis, quae in rerum natura sunt. Saepissime fluminibus et maribus affectus hominum poeta dat. Non raro fluvios animatos fingit, ubi deus fluvialis significatur, ut I, 105 sq.: canunt Amnes. II, 537: ulularunt Amnes, i. e. quod Aen. IV, 168: summoque ulularunt vertice nymphae. — Val. IV, 374: flerunt Messeides undae, Aen. VII, 759 sq.: vitrea te Fucinus unda, te liquidi flevere lacus. Val. I, 9: Oceanus indignatus, Aen. VIII, 728: pontem indignatus Araxes. Val. I, 202: non indignantes undae. cfr. Aen. X, 227: tacitis undis, ib. 307: retrahitque pedem simul unda relabens. Val. I, 281, ubi legitur: miserantibus undis,

---

[1]) Dannehlius l. l. aevi Augustei poetarum multos locos affert, quibus personificationes inveniuntur. — [2]) Multi et veteres et recentiores προσωποποιίαν (personificationem) fictiones personarum intellegunt, de quibus Quintilianus IX, 2, 30 dicit: his et adversariorum cogitationes velut secum loquentium protrahimus, et nostros cum aliis sermones et aliorum inter se credibiliter introducimus.

Bentleius, quem Baehrensius secutus est, pro miserantibus »mirantibus« scripsit. Sed neque hoc loco, cum Aen. VIII, 91 legatur: mirantur et undae, coniectura opus esse neque VIII, 55, ubi Meynckius [1]) »miratur euntem« pro »miseratur« proposuit, iam Schenkelius [2]) dixit. V, 165 sq.: horruit immensum Ponti latus, horruit omnis Hiber. Similis personificatio est Aen. III, 672 sq.: pontus et omnes contremuere undae. Val. IV, 711 sq.: freta ad subitam stupuere ratem. VI, 158: gaudet Averna palus, Aen. X, 709: defendit palus. Val. IV, 404 sq.: gnara futuri dant placida alta viam. Saepe personificatio maris invenitur, ut VII, 542: silet mare, I, 324: aequor placabile, VII, 581 sq.: aequora irata. Vergilii exempla habes Aen. IV, 523 sq.: saeva quierant aequora, VII, 6 sq.: alta quierunt aequora, I, 280: mare fatigat. — Val. II, 11 sq.: intrantemque Amyron curvas quaesita per oras aequora, qua figura pulchra fluminis flexuosi descriptio fit. VI, 406: miserat infelix Thybris. V, 104 »fidus« dicitur amnis, cuius accolae fidi sunt. I, 517 sq.: barbarus Phasis, i. e. quem homines inculti accolunt. VII, 564: attonitus Phasis. Vergilius quoque saepe fluvios animi humani participes fingit. Pauca exempla sufficiant. Aen. VI, 873 sq.: quae, Tiberine, videbis funera. VII, 516 sq.: audiit et Triviae longe lacus, audiit amnis sulpurea Nar albus aqua fontesque Velini. IX, 124 sq.: cunctatur et amnis rauca sonans revocatque pedem Tiberinus ab alto. cfr. VIII, 726, 711 sqq. V, 806: gemerentque repleti amnes. VIII, 240: refluitque exterritus amnis. — Val. II, 607: sinus invidet. V, 80: meministis, aquae.

Non raro sidera, dies noctesque animantur et cum verbis coniunguntur, quae proprie de hominibus adhibentur. Exempla Valerii sunt VI, 442: sidera fixa pavent et avi stupet orbita Solis. Similes Vergilii loci exstant Aen. II, 9: suadent cadentia sidera somnos, XI, 259 sq.: scit triste Minervae sidus. — Val. III, 211: lentis haeret nox conscia bigis. V, 278: nox hominum genus et duros miserata labores. VII, 393: stupet ipsa gravi

[1]) Mus. Rhen. tom. XXII p. 374. — [2]) Studien l. l. p. 379.

nox tardior umbra, Aen. VII,87 et 102 sq.: sub nocte silenti. — Val. IV,276 sq.: ille dies vidit. ib. 344: dies vocant. VIII,180 sq.: crastina dies vocat. cfr. Aen. V,783, X,508, XII,202. — Val. II,566: crastina lux ostendet. Similiter Aen. III,117, VIII,170. — Val. VII,1 sq.: te vesper dividit. V,598: Marte diem noctemque fatigat, ut Aen. VIII,94: olli remigio noctemque diemque fatigant. ib. I,280: metu caelumque fatigat. — Val. III,348: inhorruit aether, Aen. IX,504: caelum remugit, ib. VII,34: aethera mulcebant cantu, X,102: silet arduos aether, X,101: deum domus alta silescit.

In nominibus terrarum, urbium agrorumque saepe personificationem invenimus. Exempla Valerii sunt I,589: flens Oenotria. IV,742 sq. et V,501 sq.: furens Bebrycia. Similia Vergilii exempla inveniuntur Aen. VI,798 sq.: Caspia regna responsis horrent, VII,623: ardet Ausonia. — Val. II,614 sq.: Asiam prementem effugit Europe. VI,120: effudit Hiberia turmas. I,474: quem Phylace miserat. Similiter Aen. VII,715 sq.: quos frigida misit Nursia, ib. 744: et te montosae misere in proelia Nersae. Alia exempla huius generis videas Aen. II,293, VI,876 sq., VII,684, XI,797, XII,44 sq. — Val. II,8 sq.: iam Sciathos subsedit aquis, iam longa recessit Sepias. Sepias, de quo promontorio Minyae discedunt, recedere dicitur. Quod navis vel hominum est, id ipsis locis, ut alii quoque poetae, ita Valerius tribuit. Similem Vergilii locum habes Aen. III,72: terraeque urbesque recedunt. Val. V,51: quantum Phasis, quantum Aea recessit! i. e. quam sero eo perveniemus! Metaphora, ut I. A. Wagnerus adnotat, sumpta est ab iis, qui, cum portum in oculis habeant, denuo in altum proiciuntur. Eandem translationem saepius apud Vergilium invenio, ut Aen. III,496: arva neque Ausoniae semper cedentia retro, V,629: Italiam sequimur fugientem, VI,61: Italiae fugientis prendimus oras. — Val. II, 9 sq.: attollit tondentes pabula Magnes campus equos, i. e. locus sub oculos nautarum cadit. Neque aliud quid significatur Aen. III,703 sq.: arduos inde Acragans ostentat maxima longe moenia, ib. 552: attollit se diva Lacinia contra, Val. II,443:

proraeque accesserat Imbros. ib. 431: transit Electria tellus. Idem verbum invenies eadem significatione V,120, VIII,208, 214. — VIII, 176: notae Minyis transcurrere terrae. II, 74 sq.: raras et litus in altum mittit aves. ib. 422: terra vos amplexa. Similiter Aen. III, 209 sq.: me litora excipiunt. Val. I, 69: ignarae Cereris terrae. V, 278 sq.: nox rettulerat fessis optata silentia terris. Vergilii exempla huius generis inveniuntur Aen. IX, 709 et XII, 713: dat tellus gemitum, VII, 722: pulsuque pedum conterrita tellus, X, 102: tremefacta tellus, III, 673, XII, 445, 777 sq., I, 280. — Val. I, 444 sq.: te quoque dant campi tanto pastore Pheraei felices. VI, 721: campi videbant, Aen. XII, 542: te quoque Laurentes viderunt, Aeole, campi, ib. V, 127 sq.: silet campus, ib. VI, 872 sq.: quantos campus aget gemitus. — Val. V, 372: vellet ager, Aen. IV, 525: tacet omnis ager. — Val. IV, 278: noscunt loca. II, 248: insula exarserat, Aen. IX, 715: Prochyta tremit, Val. VII, 262: insula vellet, ubi Baehrensius scripsit »callet«, Heinsius »suevit«. I, 579: refugus Pelorus, i. e. olim abscissus ab Italia, ut bene I. A. Wagnerus explicat. Burmannus adnotat: »refugus vocatur Pelorus, qui cum longe appareat, et navigantibus propior videtur, quam re vera est, ideoque cum credunt se paene tangere Pelorum, longo adhuc spatio distare et quasi refugere videtur«. Sed haec minus placent, cum, ut puto, de aliis omnibus insulis dici possint, et Wagneri explicatio Vergilii quoque loco Aen. III, 414 sqq. valde fulcitur, ubi de Peloro dicitur: haec loca vi quondam et vasta convolsa ruina dissiluisse ferunt. — Val. IV, 356: antraque deprensae tremuerunt conscia culpae, Aen. VIII, 451: gemit antrum. Conscius unum ex vocabulis est, quae Vergilius et Valerius saepe metaphorice usurpant.

Montibus quoque verba poeta addit, quae hominum affectus et actiones exprimunt. Videas quaeso II, 359 sq.: Pangaea Gargaraque steterunt formidine. ib. 15 sq.: in nubem Ossa redit, i. e. ex oculis tollitur vel longinquitate velut nube tecta evanescit. ib. 38: se vertens Olympus. ib. 619: stupuit fragore Taurus et Atlans, I, 727: infelix Haemus. V, 81: infelix cuperet vidisse

Cithaeron, Aen. IV, 303: nocturnusque vocat clamore Cithaeron. Val. III, 208 sq.: anhelat Vesvius. ib. 232: ululantia Dindyma, ib. 585: pavent montes. IV, 66 sq.: fessaque cum silvis orant iuga. VI, 425 sq.: furentia iuga. V, 517 sq.: quem sortitus Caucasus adque quantum mitescat. ib. 496: Ossa dabat Pindusque rates. ib. 168 sq.: densus revulsis rupibus audiri montis labor, i. e. saepe repetitus clamor et gemitus. Denique Vergilii exempla videas Aen. XII, 928 sq.: totusque remugit mons circum, VIII, 305: colles resultant, XII, 702 sq.: gaudet Appenninus, VIII, 692, X, 708 sq.

Tum silvis, arboribus ventisque humani motus non raro tribuuntur. I, 577: nemus ingemit. ib. 728: nemora alta gemunt. cfr. Aen. XII, 722: gemitu nemus omne remugit, VII, 759: te nemus Angitiae (flevit), VII, 515: contremuit nemus, VIII, 92: miratur nemus. — Val. II, 360: Moesi steterunt formidine luci. III, 584 sq.: pavet omnis conscia late silva. I, 526 sq.: veteris sat conscia luctus silva Padi. III, 21 sq.: silvas fatigat Cycicus, ut Aen. IX, 605: silvasque fatigant. Val. V, 202 sq.: silvae et orae, pandite, i. e. edicite vel monstrate. VII, 445: agnoscunt Aeetida silvae. cfr. Aen. IV, 523, IX, 392, 393. — Val. VIII, 119 sq.: Phryxeae monumenta fugae vix reddidit arbor cum gemitu, Aen. VI, 180: sonat icta securibus ilex, VI, 230, III, 649 sq. — Val. IV, 270: ventis certantibus. VI, 665: alludit auster, Aen. II, 304: furentibus austris. Val. IV, 344: auraeque vocant, Aen. III, 356 sq.: aurae vela vocant, ib. 70 et V, 764: vocat auster in altum, IV, 417: vocat iam carbasus auras, X, 97: flamina fremunt.

Varia denique addo haec: VI, 634: imber bacchatus. III, 597: certat imago. II, 466: maeret ebur. VIII, 248: tura concordia. V, 201: infaustos agnoscunt vellera fluctus. VII, 586: viso pallescit flamma veneno, Aen. V, 680 sq.: sed non idcirco flamma atque incendia vires indomitos posuere, XI, 189: maestum ignem.

Saepe partibus singulis corporis motus et affectus animi Valerius tribuit, cuius rei exempla habes VII, 512: ora laeta.

IV, 367 sq.: inscia somni lumina, Aen. X, 463: morientia lumina. Val. V, 373: attonito ore, Aen. VI, 80: os rabidum, X, 727 sq.: inproba ora, XI, 300: trepida ora. — Val. III, 532 et VII, 191: attonitus vultus. VI, 584: tacito vultu. VIII, 21: attonito pede. VII, 4: cunctatis plantis. III, 40 sq.: inscia dextra. II, 200: pavidae aures. VII, 619: umeri videre diem. I, 109: umeri gaudentes. IV, 685: invitum cornu. VI, 176: semineces crines, Aen. XI, 35: maestum crinem.

Nunc accedamus ad res inanimas, quae hominum manu et opera factae cum verbis coniunguntur, quae propria in hominibus sunt.

Ratis, in qua Minyae vehuntur, nominatur I, 2: fatidica (»fatidicae silvae« legitur I, 304), ib. 236: patiens, VI, 317: non inscia funeris, I, 605: insanis, i. e. ad insaniam usque temeraria, ib. 170: laeta, ib. 442: maesta, ib. 622: pavida, V, 220: trepida. Argo I, 99: poscit quos revehat, V, 65: vocat, I, 443: lugebit, VI, 318: flevit, VIII, 129 sq.: se gaudens promovet. II, 588: terruit unda ratem.

Aliis quoque rebus variis hominum manibus factis humani affectus tribuuntur. I, 103: insons aratrum, i. e. innocens vel imbelle. II, 484: crudelis scopulis me destinat urna. V, 72: dimiserat anchora terras, Aen. VI, 3 sq.: dente tenaci fundabat anchora navis. Val. III, 132: trepidant puppes, Aen. VIII, 497 sq.: toto namque fremunt condensae litore puppes signaque ferre iubent, ib. I, 168 et V, 29: fessae naves, II, 198: domuere carinae. Val. VI, 123 sq.: motusque refutat arcus et inceptus iam lancea temnit erilis. ib. 237: docilis hasta. VIII, 303: impatiens tremit hasta morae, Aen. II, 231: scelerata hasta. Val. I, 122: docta bipennis, quae personificatio poetis usitata est. IV, 214: caestus resides. Aen. IX, 809: saxis solida aera fatiscunt. Val. VI, 154: trepida plaustra, Aen. XI, 138: plaustris gementibus. Val. VI, 401: trepidi currus. III, 52: trepidae rotae. IV, 328: magnanimae palaestrae, i. e. quae tam magnanimos heroas emittant. I, 471 sq.: carmine tonsas ire docet. IV, 418: ovanti sistro, Aen. IX, 619: tympana vos buxusque vocat. Val. II, 476: rogi

certantes. V, 644: donaria certant. I, 752 sq.: horruit maesta domus. Similes loci Vergilii exstant Aen. II, 487 sq.: plangoribus aedes femineis ululant, XI, 38: maestoque inmugit regia luctu, IV, 668: tecta fremunt, VII, 343, VIII, 412, III, 536, VII, 740. — Val. I, 433 sq.: solvit fibula vestes ostenditque umeros. Reisigius [1]) recte monet, fibulam tum demum, si adimatur, vestes resolvere. Apud Vergilium fibulae personificatio est Aen. IV, 139: aurea purpuream subnectit fibula vestem. VII, 815 sq.: fibula crinem auro internectat. XII, 274: laterum iuncturas fibula mordet.

Denique breviter disserendum est de personificatione earum rerum, quae sub sensus non cadunt, sed animo tantum et cogitatione formantur et comprehenduntur. I, 77 sq.: Gloria immunis senectae stat iuvenesque vocat. Similiter II, 204 sqq. Pavor, Discordia, Irae personarum loco sunt, quae res est notissima. cfr. VI, 398 sqq. Alia exempla habes I, 677 sq.: meritas tibi plurimus aras pascit honos. VII, 2: te tua gaudia relinquunt. IV, 292: subitas dant gaudia voces. VII, 295: pudor verba cavens. ib. 514: deicit vultus aeger pudor, Aen. V, 455: pudor incendit vires. Val. III, 359: pervigil planctus. IV, 147: mors habitat. VII, 142: miserata quies. VI, 698: fuga conversas spargit mentita sagittas, ubi fuga velut viva a poeta adspicitur. Similiter Aen. V, 429: pugnamque lacessunt. — Val. I, 411: fama non est decepta. II, 618: adversi longus labor abscidit aevi, Aen. XI, 425 sq.: multa dies variusque labor mutabilis aevi rettulit in melius, ib. XII, 727: quem damnet labor. Val. IV, 469 sq.: te exedit labor et senectus. III, 298: plangeret error. ib. 613 sq.: iamque morae impatiens cunctantes increpat ausus Tiphys. Ausus sunt, ut Thilo [2]) explicat, cui accedit Ph. Wagnerus [3]), res ab Argonautis susceptae, quae cunctantes dicuntur, quia audentes cunctantur. Baehrensius »ausus« participium intellegens »orsis« scripsit. Ausus inepte, inquit, quid

---

[1]) Vorlesung. üb. lat. Sprachwissensch. p. 306. — [2]) prol. p. XIV. — [3]) Iahn. ann. l. l. p. 383.

enim periculi subit Tiphys socios verbis increpans? VI, 514: melior belli respexit imago. Denique videas Aen. I, 4: memor ira, V, 688 sq.: pietas antiqua labores respicit humanos, VII, 508: telum ira facit, IX, 108 sq.: Turni iniuria matrem admonuit ratibus sacris depellere taedas. Sed haec hactenus, cum satis exemplorum attulisse mihi videar.

B. De synecdoche.

Quint. VIII, 6, 19 sq.: Haec variare sermonem potest, ut ex uno pluris intellegamus, parte totum, specie genus, praecedentibus sequentia, vel omnia haec contra, liberior poetis quam oratoribus. Nam prosa, ut »mucronem« pro gladio et »tectum« pro domo recipiet, ita non »puppem« pro navi nec »abietem« pro tabellis, et rursus, ut pro gladio »ferrum«, ita non pro equo »quadrupedem«. Maxime autem in orando valebit numerorum illa libertas. Ad C. Herennium IV, 33, 44 hic tropus intellectio nominatur: Intellectio est, cum res tota parva de parte cognoscitur aut de toto pars. Denique audiamus Tryphonis definitionem (Walz. l. l. p. 739 sq.): *Συνεκδοχή ἐστι φράσις οὐ κατὰ τὸ πλῆρες ἐξενηνεγμένη, προσδεομένη δέ τινος ἔξωθεν ἀκολουθίας· τῶν δὲ συνεκδοχῶν εἰσι διαφοραὶ πλείους· αἳ μὲν γὰρ ἀπὸ μέρους τὸ ὅλον δηλοῦσιν, ἢ ἀπὸ τοῦ ὅλου τὸ μέρος, ἢ ἀπὸ τῆς ὕλης τὸ ἀποτέλεσμα, ἢ ἀπὸ τοῦ προηγουμένου τὸ ἀκόλουθον, ἢ ἀπὸ τοῦ ἀκολούθου τὸ προηγούμενον.*

Cum in tropis synecdoches et metonymiae adhibendis Valerius sexcenties Vergilium, cuius exempla horum troporum Braumüllerus l. l. congessit, secutus sit, eos locos omittam, quibus satis usitati tropi inveniuntur, et ea sola exempla brevissime proferam, quae ad Valerii genus dicendi cognoscendum apta esse mihi maxime videntur.

a. Partem pro toto

omnes poetae ponere solent. Saepissime singuli populi pro tota natione et terrae pars vel una urbs pro terra tota usurpantur.

Exempla Valerii exstant I, 8 Caledonius Oceanus pro Britannico omnino. ib. 171 Iolcos pro tota Thessalia posita est. ib. 381 Mycenaea vela pro Argivis vel potius Graecis velis. ib. 422 Pagaseia puppis pro Thessalica. ib. 426 Amyclaea herba pro Laconica. Plurima alia huius generis exempla afferri possunt, sed in hac re tam nota pluribus exemplis opus non erit. Singulae corporis partes pro toto corpore ponuntur. III, 18: concurrere dextras, pro hominibus vel heroibus. VI, 363: alternaeque virum non cedere dextrae. Sil. XVI, 18 et XII, 351 dextrae pro copiis positae sunt. Val. I, 90 colla pro bobus sunt. Saepius terga pro toto corpore a Vergilio et Valerio usurpantur. I, 154 carina pro navi dicta est, qui tropus saepe apud alios quoque poetas invenitur. Idem est I, 18, 118, 301, 487, 644, II, 50, 636, V, 150, VII, 220, VIII, 40, 417. Similiter est pro navi carbasus IV, 615, vel carbasa I, 8, 575, 607. — I, 233: plenum certis interroget aethera pinnis, i. e. avibus. Similis Vergilii locus exstat Aen. III, 361: praepetis omina pinnae, i. e. alae vel potius avium. Pro sagitta VI, 421 »pinna« esse Burmannus et Freundius putant, sed fortasse rectius Loehbachius[1]) pinnam restes pinnis ornatas intellegit, quibus cervi perterreantur. cfr. Aen. XII, 750: cervom aut puniceae saeptum formidine pinnae. — Val. V, 608: saxiferae surgat quibus imber habenae, ubi habena pro funda est. Similiter Aen. VII, 380: ille (turbo) actus habena, i. e. flagello. Val. II, 35: evectae habenae, ubi »habenae« dicitur pro curru vel potius pro equis. Denique exempla a Valerio solo usurpata afferam. I, 448 quercus est pro silva vel potius pro querceto. VIII, 460 truncus pro arbore, III, 160 et 541 pecten, quo instrumento lyra pulsatur, pro lyra positus est. ib. 182: Sagen nervo fallere, i. e. arcu.

b. Numerus singularis pro plurali

apud Valerium positus est V, 601: Medus, i. e. Medi, ut saepius, si poeta nominibus populorum utitur. II, 72: Eoa Atlantis, i. e.

---

[1]) Studien p. 12.

Pleiades vel Atlantides, quibus formis alii poetae utuntur. Madvigius autem et Baehrensius »Pallantis« scripserunt. III, 264 sq.: pavet Thyias, ubi de multis Thyiadibus vel Bacchis agitur. IV, 287 sq.: fulmina Cyclops prosubigit, pro »Cyclopes«. V, 260: territat deus, i. e. non singularis aliquis deus, sed dii omnino. III, 228: Eumenidum canis, i. e. canes. VII, 554 sq.: Echionii immania dentis semina, pro »dentium«. II, 178 sq.: patriae vidisse per ignes culmen agi. II, 460 sq.: coit e sparso concita mapali agrestum manus, pro: e sparsis mapalibus, quo modo nemo alius huius vocabuli singularem numerum adhibuit. III, 484: densa trabe montes. VIII, 289 arbor pro »arbores«, ut VI, 236 »abies« pro »abietes« vel potius »hastae«. IV, 671 sq.: ardua cautes cesserat, pro: arduae cautes cesserant.

c. Materia pro ea re, quae inde effecta est, ponitur.

Pinus pro navi, ut I, 457, II, 48, V, 435, vel pro face, ut II, 196, arbor pro navis malo I, 496, aliaeque huius generis metonymiae notissimae sunt. I, 420 sq.: taurea vulnifico portat caelataque plumbo terga Lacon, i. e. lora e corio bubulo facta vel caestus, quam significationem vocabuli »terga« apud Vergilium quoque invenies Aen. V, 419: Erycis tibi terga remitto, ib. 403: duroque intendere bracchia tergo. Weytingkius, quem Baehrensius secutus est, scripsit IV, 746 pro »harenis« »habenis« i. e. caestu. VI, 197, 236, Aen. XI, 667 abies et Val. VI, 243 quercus pro hasta est. V, 66 quercus, ut Aen. VIII, 91 abies, pro tota navi legitur. Val. III, 524, ut Aen. VII, 817, myrtus est pro iaculo. Reinesius autem, cui I. A. Wagnerus et Baehrensius astipulantur, non male »corytus« coniecit. Val. VI, 687 harundo pro sagitta invenitur, quem tropum saepius Vergilius adhibet.

Aurum, argentum, chalybs, aes pro aureis, argenteis, chalybiis, aeneis rebus ponuntur. II, 472: vides ostro scopulos auroque frequentes, i. e. vestes purpureas, auro distinctas, quae in scopulis expositae sunt. I, 593 sq.: in monte chalybs itera-

taque muris saxa domant Euros, i. e. ferreus carcer vel ferrei clathri. V, 168 chalybs est pro chalybiis vel ferreis vinculis, VI, 342: letifer chalybs, pro acumine hastae. Idem tropus apud Lucanum invenitur: VI, 797: aeternis chalybum nodis, i. e. catenarum ferrearum, VII, 518: externum maculant chalybem, i. e. spiculum ferreum sagittae, VI, 547 chalybs pro clavo ferreo positus est. — Val. VI, 342 aes est pro lorica, ut hoc vocabulum saepissime pro iis rebus positum est, quae ex aere factae sunt. III, 61: (Bellona) passuque movens orichalca sonoro, i. e. ut Maserius et J. A. Wagnerus explicant, tubam orichalco vinctam, quae Bellonae tribuitur. cfr. Aen. VI, 165: aere ciere viros, i. e. tuba. Zinzerlingius, Lemairius aliique, quibus ego accedo, non de tubae clangore haec verba accipiunt, sed de sonitu armorum, quibus Bellona induta erat.

Schenkelius[1]) VI, 223 sq.: cui plurima silvis pervigilat materna soror, »silvis« significare Webebaum, Webestuhl putat, sed fortasse J. A. Wagneri sententia melius se habet: Silvae h. l. de materia ad texendum in silvis obvia, lino inprimis, intellegendae. Eodem modo explicari potest VI, 699: eoae stamine silvae. cfr. Aen. III, 24: viridemque ab humo convellere silvam.

C. De metonymia.

Quint. VIII, 6, 23: Nec procul ab hoc genere discedit metonymia, quae est nominis pro nomine positio, sed, ut ait Cicero, hypallagen rhetores dicunt. Haec inventas ab inventore et subiectas res ab optinentibus significat. Cicer. orat. 27, 93: Hanc *ὑπαλλαγήν* rhetores, quia quasi summutantur verba pro verbis, *μετωνυμίαν* grammatici vocant, quod nomina transferuntur. Corn. ad C. Herennium IV, 32, 43: Denominatio est, quae ab rebus propinquis et finitimis trahit orationem, qua possit intellegi res, quae non suo vocabulo sit appellata. Tryph. (Walz. l. l. p. 739): *μετωνυμία ἐστὶ λέξις ἀπὸ τοῦ ὁμωνύμου τὸ συνώνυμον δηλοῦσα.*

[1]) Studien p. 273.

a. Causa efficiens pro re effecta usurpatur.

Ut ab aliis poetis, ita a Valerio Volcanus pro igne, Mars pro bello, Ceres pro pane, ut I, 254, III, 5, vel pro segete, ut I, 578, Bacchus pro vino II, 70, III, 5 ponitur. I, 140: multo insanus Iaccho, i. e. ad amentiam usque inebriatus. Similiter Aen. IX, 336 sq.: multoque iacebat membra deo victus. Simili modo saepe nomen deorum pro eo, quod sub eorum imperio est, legitur, ut Val. I, 450: remo Nerea versat, i. e. mare. Idem est Lucan. II, 713: hic primum rubuit civili sanguine Nereus. — Val. VII, 336 sq.: lampade Phoebes sub decima, i. e. luce lunae sub decima, i. e. nocte. cfr. Aen. IV, 6, VII, 148. — Val. V, 339 sq.: seque spargere caede manus, i. e. sanguine. V, 454 et VI, 415: caede madens, cuius metonymiae apud Vergilium quoque et alios poetas complura exempla exstant. III, 740: misero manat iuba sordida luctu, i. e. lacrimis. Similiter dictum est III, 218: tepidi singultibus agri, pro: recenti sanguine, quem moribundi singultantes eiecerant. VI, 445: datque alias sine lege colus, i. e. alia fila. Sententia est, ut J. A. Wagneri verbis utar: fata vitaeque terminos a Parcis praestitutos mutat pro libitu. ib. 645: rumpit iniqua colus, qui tropus apud Senecam quoque invenitur. Ut possessor pro re possessa ponitur, ita dicitur VI, 40: quod geminas arctos magnumque quod inpleat anguem, i. e. septentrionales regiones.

b. Res effecta pro causa efficienti ponitur.

V, 228: Martis in umbra, pro luco. VII, 55: caesa descendit Caucasus umbra, qui tropus non raro invenitur, ut Verg. Georg. I, 156 sq.: ruris opaci falce premes umbras. — Val. IV, 661 sq.: sicut multifidus ruptis e nubibus horror effugit. Similiter I, 652: caerulus horror. I, 23 sq.: Pelias, gravis et longus populis metus, i. e. valde et multos per annos metuendus. Idem verbum de gigante usurpatum est IV, 200 sq.: quem nec sua turba tuendo it taciti secura metus. Similiter Pallene II, 16 metus deum nominatur, i. e. locus diis metuendus. I, 744 sq.: qui gentibus

horror pergit! II, 23 sq.: maximus horror abest, Sicula pressus tellure Typhoeus. IV, 320: ille ingens hominum pavor, i. e. hominibus maxime terribilis.

Braunius[1]) singularem huius generis metonymiam esse vult I, 813 sq. (al. edd. 782 sq.): exorabile retro carmen agens, quo loco carmen nihil aliud significare putat quam carminis auctorem, umbram ipsius Crethei. Sed ei astipulari prorsus non possum. Vocabulum »retro« Ph. Wagnerus[2]) in »Leto« mutat, Baehrensius in »Averno«, optime Hirschwaelderus, quem Schenkelius secutus est, in »rite«.

c. Abstractum pro iis personis et rebus ponitur, quibus ea qualitas attribui potest, quae substantivo abstracto exprimitur.

Dicta ut amores pro amatis similiaque omnibus nota sunt. Saepe a poetis nomine abstracto aut convicium quoddam aut laudem quandam continente homo significatur. Hoc modo pestis vel lues pro homine pestifero et virtus, decus, gloria, spes pro homine bono et virtute praedito usurpantur.

Gravissima Valerii exempla huius generis sunt I, 383: Phoebique fides non vana parentis, i. e. qui spem patris Phoebi von fefellit. IV, 630: decus o Boreae, i. e. fili patre Borea digne. VI, 200: mixta perit virtus, i. e. mixti virtute praediti. III, 302: patriae exitium crudele senectae, i. e. patris senis. ib. 677 sq.: consortia famae despicit, i. e. consortes. ib. 396 sq.: nostra requiret cura viam, pro: ego requiram. VI, 699: neque te, mea cura, relinquam.

d. Locus pro eo, quod in eo est, ponitur.

VI, 145: ditant sua mulctra Satarchen, i. e. lac, quod in mulctris est. Idem tropus exstat Colum. VII, 8: Casei faciendi

[1]) l. l. p. 27. — [2]) Philol. l. l. p. 360.

non erit omittenda cura, utique longinquis regionibus, ubi mulctram (i. e. lac) devehere non expedit. Simili modo carchesium, poculum, patera pro vino usurpantur. Domus pro hominibus, qui in iis sunt, saepe a poetis ponuntur. Exempla Valerii habes II, 262 sq.: insomni lassatas turbine tandem conticuisse domos. Similiter VII, 381: horretque domos Medea silentes. II, 370 sq.: viduis indulgent thalamis, i. e. viduis feminis, ut »thalamus« saepius a Vergilio pro matrimonio usurpatur. III, 79 ratis pro nautis, qui in ea sunt. ib. 738 sq.: inclusaque longo pervigilant castella metu, i. e. pastores in castellis sedentes. cfr. Aen. VIII, 385 sq.: quae moenia clausis ferrum acuant portis. Val. V, 237: soporato luco, pro luci custode, dracone. Similiter dictum est II, 521 sq.: tota pharetrae nubes, pro: sagittarum nubes. Urbes pro incolis positae passim ut apud alios poetas, ita apud Valerium inveniuntur, ut I, 552 »flentes Mycenae« est pro Mycenensibus. Regiones quoque pro incolis poetae ponere solent, ut Aen. XII, 232: infensa Etruria Turno, quam rem exemplis Valerii nonnullis illustrabo. I, 631 sq.: linquite, terrae, spem pelagi, i. e. homines in continente viventes. V, 463 Titannia tellus ponitur pro Colchis. ib. 480: Thessalicis inclita nomina terris, pro Thessalis vel potius pro Graecis omnino. VI, 118: Lagea novalia totaque Riphaeo Panchaia rapta triumpho. I, 51 sq.: pendere poenas Colchida. ib. 512 Libys est pro Afris vel potius Aegyptiis. ib. 742: stupet Aea, ut VI, 96: iuratos in se trahit Aea Batarnas. IV, 211 sqq.: Asiae plaga et pontus haec mea visit hospitia. VIII, 396: Europam atque Asiam committat Erinys. Similes Vergilii loci inveniuntur Aen. VII, 223 sq.: quibus actus uterque Europae atque Asiae fatis concurrerit orbis, X, 90 sq.: consurgere in arma Europamque Asiamque et foedera solvere furto. Val. VIII, 559 Aurora ponitur pro populis in orientali plaga habitantibus. ib. 601: exspectat Hiberia. VII, 132: tanto turbetur Graecia luctu. Eodem modo Graecia pro Graecis est ib. 496 et VIII, 275: Graecia fallax. I, 19 sq.: Graecia mittet et Sidon Nilusque rates. Sed quid pluribus hac in re exemplis opus est?

Etiam litora, amnes, montes pro incolis illarum regionum, in quibus ipsa sunt, ponuntur. Exempla invenies V, 150 sqq.: vos mirata litora. Similter VIII, 207: illam Sarmatici miserantur litora ponti. V, 559 sq.: quos non Iber sustineat. VII, 55 sq.: Caucasus repetet praedas. VIII, 209 sq.: nulla palus, nullus Scythiae non maeret euntem amnis; Hyperboreas movit conspecta pruinas. Alia exempla adiungerem, nisi te Valerii rationem dicendi his in rebus perspexisse putarem.

D. De periphrasi.

Quint. VIII, 6, 59: Pluribus verbis cum id, quod uno aut paucioribus certe dici potest, explicatur, periphrasin vocant, circumitum quendam eloquendi. Auct. ad C. Herennium IV, 32, 43: Circuitio est oratio rem simplicem adsumpta circumscribens elocutione, hoc pacto: Scipionis providentia Carthaginis opes fregit. Valerii exempla habes I, 37: ira maris, pro: iratum mare, quod dictum Valerius valde amat. II, 232: aequoris irae, pro: aequora irata vel impetuosa. III, 223 sq.: ea gaudia fingit ira deum, i. e. dii irati. IV, 580: ira Iovis, i. e. iratus Iuppiter. Idem est ib. 474 et VII, 568. — IV, 428 Harpyiae vocantur »ira tonantis« i. e. ministrae irati Iovis. cfr. ib. 521: (quas) magnas sibi legit in iras, et ib. 526: divum meritae mortalibus irae. V, 516 sq.: sciat effera regis ira mihi, i. e. rex mihi infensus. VII, 149: ipsum horrisoni quatit ira flagelli. ib. 532: parat ira parentis. ib. 635 sq.: Matris ira. Ut vocabulo irae, sic aliis quoque vocabulis saepe nomen circumscribitur. Usitatum poetis est exemplum, quod exstat VII, 277: ora procorum, pro procis. Multos alios Valerii locos huiusmodi iam Hirschwaelderus[1]) attulit. Vergilii exempla habes Aen. IV, 511: ora Dianae, VII, 575: foedati ora Galaesi. cfr. ib. XI, 349: lumina tot cecidisse ducum, VII, 18: formae magnorum ululare luporum. — Val. II, 647 sq.:

---

[1]) l. l. p. 24.

virtus Bebrycis, i. e. Bebryx. III, 86: vis Achivum, VI, 683: vis ducum. Similiter Aen. IV, 132: odora canum vis. Val. IV, 136: caesi maerentem nomen amici, i. e. amicum, ut VIII, 461 sq.: ingentia Graium nomina, i. e. Graeci. V, 314: veterumque quod horruit aetas. VI, 97: quos crudi mora corticis armat, i. e. scutum ex arboris cortice factum, quod tela moretur. Similiter Aen. XII, 541: clipei mora aerei. Val. I, 561 sq. robor Herculeum pro Hercule ipso, sed forti et robusto. VIII, 335: Styri violentia, Aen. XI, 376 et XII, 45: violentia Turni.

Audaciores circuitiones exstant Val. I, 158 sq.: sequuntur fremitus canum, i. e. canes frementes vel allatrantes. Similiter VI, 232 sq.: coiere fremitus virorum semiferi, i. e. frementes viri semiferi. ib. 187 sq.: hinc barbarici glomerantur ovatus, hinc gemitus, mixtaeque virum cum pulvere vitae, i. e. ovantes et gementes barbari glomerantur, et plurimi viri adhuc quidem spirantes, sed gravissime vulnerati, in pulvere iacent.

E. De hyperbole.

Quint. VIII, 6, 67: Hyperbolen audacioris ornatus summo loco posui. Est haec decens veri superiectio: virtus eius ex diverso par, augendi atque minuendi. Auct. ad Herenn. IV, 33: Superlatio est oratio superans veritatem, alicuius augendi minuendive causa. Tryph. (Walz. l. l. p. 746): *ὑπερβολή ἐστι φράσις ὑπεραίρουσα τὴν ἀλήθειαν αὐξήσεως ἢ μειώσεως χάριν.*

Valerii exempla huius tropi invenies I, 318 sq.: femineis tantum illa furens ululatibus obstat, obruit Idaeam quantum tuba Martia buxum. cfr. Aen. II, 488: ferit aurea sidera clamor. Lepidam Valerii hyperbolen invenies V, 592: ingenti turbantem pocula barba. IV, 195: spumans funditus amnis, ubi Friesemannus »fluctibus« scripsit. Ingenio valde poeta indulsit VI, 235 sq.: ingentem campis hostilibus umbram fert abies. VIII, 334: crebra ruina poli caelestia limina laxat, i. e. Olympus ipse conspici videtur. Hoc loco afferenda sunt dicta ut II, 491: Neptu-

nus muros cum iungeret astris, Aen. III, 574: (Aetna) sidera lambit, ib. IV, 89: aequataque machina caelo. Val. IV, 149: (Amycus) qui vertice nubila pulset, Aen. III, 619 sq.: ipse arduus altaque pulsat sidera. Val. I, 586 sq.: miscere polumque infelixque fretum, Aen. I, 133 sq.: caelum terramque miscere. Val. VIII, 330 sq.: omnis in astra itque reditque ratis, qui tropus poetis sollemnis est. Vergilii exempla huiusmodi habes Aen. I, 103: (procella) fluctus ad sidera tollit. III, 423: sidera verberat unda. ib. 564: tollimur in caelum curvato gurgite. ib. 567: rorantia vidimus astra.

F. De antiphrasi.

Hic tropus, quem ironiae speciem esse Quintilianus VIII, 6, 57 sq. dicit, a Servio litotes nominatus ad Aen. I, 77 hoc modo definitur: litotes fit, quotiescunque minus dicimus, et plus significamus per contrarium intellegentes. Tryphonis verba sunt (Walz. l. l. p. 755): *ἀντίφρασίς ἐστι λέξις διὰ τοῦ ἐναντίου ἢ παρακειμένου τὸ ἐναντίον παριστῶσα χωρὶς ὑποκρίσεως.*

Exempla Valerii exstant IV, 100: duris regio non invida tauris, quod idem valet quod: regio tauris pascendis maxime idonea. V, 614: cara mihi et veras inter non ultima natas, i. e. aeque dilecta ac verae filiae. VIII, 38 »haut indigna« est pro »dignissima«. Notissimum exemplum invenitur III, 27: non immemor. VIII, 225: incipit Idaliae numen nec spernere divae. »Non spernere« hoc loco idem significat quod »colere« vel »venerari«. »Incipit nec spernere« esse pro »et incipit non spernere« monendum est, qua de re Schmitzius[1]) uberius disputans plura exempla attulit. cfr. III, 5.

[1]) l. l. p. 12.

G. De hysterologia.

Hic tropus a Quintiliano omissus definitur a Gregorio Corinthio (Walz. Rh. Gr. VIII p. 778): *ὑστερολογία ἐστὶ μέρος λόγου, ὅταν ὃ δεῖ πρῶτον λέγειν ὕστερόν τις ἐπιφέρῃ*, et a Georgio Choerobosco (Walz. Rh. Gr. VIII p. 818): *ὑστερολογία ἐστὶ λόγος πρῶτος ὕστερος λεγόμενος καὶ διὰ τοῦτο πρωθύστερος ὀνομαζόμενος*.

Non saepe Valerius hoc tropo utitur. Vide sis I, 94 sq.: moliri hunc puppem iubet et demittere ferro robora. Arbores caedi necesse est, antequam navis fabricari potest. Similiter Aen. I, 179: et torrere parant flammis et frangere saxo. Val. III, 11: quas (vestes) dederat picto et variaverat auro. ib. 72 sq.: ut proxima quaeque intremuit domus et motus accepit inanes. Si homines motus acceperunt, tum demum intremiscunt. VI, 341 sq.: it medium per pectus et horrida nexu letifer aera chalybs. Primum lorica transfigitur, deinde pectus. cfr. Aen. II, 258 sq.: inclusos utero Danaos et pinea furtim laxat claustra Sinon. Val. IV, 168: me nunquam leto dignatus et armis. Simili modo dictum est Aen. II, 353: moriamur et in media arma ruamus. — Val. VI, 366: insonuit quae (galea) lapsa solo dextramque fefellit. Postquam galea dextram fefellit, solo lapsa est. Sed haec hactenus, iam ad alteram commentationis meae partem transeamus.

II. De figuris.

Vocabulum Graecum σχῆμα Cicero et vocabulo »forma«, et »lumina« et »figura« Latine reddit. Cum iam supra Quintiliani definitionem figurarum proposuerim, hoc loco duorum rhetorum Graecorum, Alexandri et Tiberii, audiamus sententias. Alex. (Walz. vol. VIII p. 426): σχῆμα δέ ἐστιν ἐξάλλαξις λόγου ἐπὶ τὸ κρεῖττον κατὰ λέξιν ἢ κατὰ διάνοιαν, ἄνευ τρόπου. Tib. (Walz. VIII p. 527 sq.): ἔστι τοίνυν σχῆμα τὸ μὴ κατὰ φύσιν τὸν νοῦν ἐκφέρον μηδὲ ἐπ' εὐθείας, ἀλλ' ἐκτρέπον καὶ ἐξαλλάσσον τὴν διάνοιαν, κόσμου τινὸς τῇ πλάσει ἢ χρείας ἕνεκα. Ut de tropis, ita de figuris viri docti minime idem sentiunt, quod iam Quintilianus IX, 1, 10 dixit: Est autem non mediocris inter auctores dissensio, et quae vis nominis eius et quot genera et quae quam multaeque sint species. Inter plurimos autem, quod sciam, inquit IX, 1, 17, consensum est, duas eius esse partes, διανοίας, id est mentis vel sensus vel sententiarum, (nam his omnibus modis dictum est) et λέξεως, id est verborum vel dictionis vel elocutionis vel sermonis vel orationis: nam et variatur et nihil refert. Distinguuntur autem haec duo genera ab Alexandro hoc modo (Walz. l. l. p. 424 sq.): τὸ δὲ τῆς λέξεως σχῆμα τοῦ τῆς διανοίας διαφέρει, ὅτι τὸ μὲν τῆς λέξεως κινηθείσης τῆς λέξεως τῆς συσχούσης τὸ σχῆμα ἀπόλλυται· — τοῦ δὲ τῆς διανοίας σχήματος, κἂν τὰ ὀνόματα κινῇ τις, κἂν ἑτέροις ὀνόμασιν ἐξενέγκῃ, τὸ αὐτὸ πρᾶγμα μένει· ὁμοίως δὲ, κἂν ἡ σύνταξις κινηθῇ, ἢ προςτεθῇ καὶ ἀφαιρεθῇ τι, λύεται τὸ σχῆμα τῆς λέξεως.

Cum figuras sententiarum omittere chartarum et temporis angustiis cogar, statim ad figuras verborum tractandas accedo, de quibus Quintilianus IX, 3, 2 dicit: Schemata lexeos duorum

sunt generum: alterum loquendi rationem vocant, alterum maxime conlocatione exquisitum est. Quorum tametsi utrumque convenit orationi, tamen possis illud grammaticum, hoc rhetoricum magis dicere.

Figurarum grammaticarum Quintilianus IX, 3, 27 quatuor genera distinguit, quae sunt per mutationem, adiectionem, detractionem, ordinem, figurarum rhetoricarum primum eas tractat, quae fiunt adiectione, tum eas, quae fiunt per detractionem, denique id genus, quod aut similitudine aliqua vocum aut paribus aut contrariis convertit in se aures et animos excitat. Ego in figuris grammaticis tractandis Quintiliani divisionem sequar, in rhetoricis autem figuris paulo ab eo discedens primum de figuris adiectionis, tum detractionis, denique ordinis disseram.

A. De figuris rhetoricis.

Quint. IX, 3, 28: Illud est acrius genus, quod non tantum in ratione positum est loquendi, sed ipsis sensibus cum gratiam tum etiam vires accomodat.

a. Figurae, quae adiectione fiunt.

α. Ἐπαναφορά.

Auct. ad C. Herenn. IV, 13, 19: Repetitio est, cum continenter ab uno atque eodem verbo in rebus similibus et diversis principia sumuntur. — Haec exornatio cum multum venustatis habet tum gravitatis et acrimoniae plurimum. Quare videtur esse adhibenda et ad ornandam et ad exaugendam orationem.

Exempla Valerii paene innumerabilia sunt, ut unicuique libros eius perlegenti persuadeatur, eum hanc dicendi rationem valde quaerere. Saepissime repetitio iucundissima et aptissima est, quod concinnam quandam constructionem verborum efficit et dicta magis firmat, cum ira vel animi alio affectu commoti verba ingeminare soleamus. Non raro autem haec figura, cum immodice petatur, nobis frigida et languida videtur.

1. Substantivorum.

IV, 217: fuga sub terras, fuga nulla per auras. ib. 664: pavor ora virum, pavor occupat aures. III, 309, IV, 101, VI, 708, 738, VII, 231. Vergilii exempla inveniuntur Aen. II, 116 sqq., 157 sq., III, 80, 265, 523 sq., VII, 460, XII, 948.

2. Adiectivorum.

III, 29: nova monstra viro, nova funera volvit. IV, 283: nova vis iterum, nova robora surgunt. V, 112: nec solus Halys, nec solus Apollo. »ambo« repetitur VI, 128, VII, 653, Aen. XI, 291, »omnis« III, 724 sq., VI, 152, 388 sq., VII, 639, Aen. VI, 787, VIII, 705 sq., 718, XII, 548 sq. Alia exempla videas IV, 494, V, 362, VI, 701, VIII, 278 sq., Aen. I, 222, 612, V, 433 sq., IX, 26, XI, 220 sq., XII, 466 sq.

3. Pronominum.

Saepissime in Valerii libris pronomina repetita figuram epanaphorae efficiunt. Licet non necessarium sit omnia eius exempla afferre, plurima tamen enumerare utile esse ad Valerii genus dicendi cognoscendum mihi visum est.

Pronomina personalia: I, 785: mihi consiliis, mihi cognita bellis. VIII, 467: mene-me, Aen. V, 848 sq.: mene-mene. Val. VII, 290 sq.: tu laude nova, tu supplice digno dignior es. Idem est III, 662 sq., VI, 486, Aen. IV, 548, VII, 335 sq., VIII, 293 sq., X, 254. — Val. IV, 467 sq.: tune-tu. Aen. I, 78 sq. »tu« ter repetitur. »tibi« repetitur III, 671, »te« VII, 485 sq., Aen. VII, 596, VIII, 296, 383 sq., XII, 96 sq., »vos« IV, 460 sq., V, 202, Aen. II, 154 sq., »vobisne« VII, 50, »vos et« Aen. I, 200 sq., »tu potes« ib. X, 81 sqq.

Pronomina demonstrativa: II, 229: hoc soror, hoc coniunx, propiorque hoc nata parensque. cfr. Aen. V, 73 sq. Val. V, 68: hunc omnis honos; hunc omnis in unum transit amor. Pronomen »hic« repetitur quoque II, 482, IV, 317, V, 49, VI, 138 sq., 445 sq., VIII, 53, Aen. I, 717, II, 394, III, 408, IV, 676, VI, 773 sq., VII, 128, X, 534, 858 sq., »ille« Val. III, 409 sq., 607 sq., IV,

566, V, 486, VIII, 207 sq., I, 23 sq., »ipse« III, 37 sq., 701 sq., VII, 149, VIII, 234 sq., Aen. II, 617 sq., V, 176, XI, 218, »idem« Val. V, 436, VII, 361 sq.

Pronomina relativa: III, 94: quibus illa fretis, quibus incidat arvis. ib. 51 sq., 252, 336 sq., 461 sq., 505, V, 605, 609, VI, 121, 414, VII, 342 sq., VIII, 72, I, 416, Aen. I, 236, IV, 598 sq., VIII, 52, 434, X, 76, 183, »qui« ter repetitur ib. III, 359 sq., ib. VII, 72: qui — qui — qui — qui — quos — quosque. »non quae« repetitur Val. IV, 179: non quae dona die, non quae trahat aetheris ignem, »quique« Aen. XII, 705 sq., »quidve« ib. X, 150.

Pronomina interrogativa: »quid« repetitur I, 517, IV, 599 sq., 668, V, 602, 635 sq., Aen. I, 231 sq., VI, 122 sq., VII, 365, VIII, 483, XII, 40, »quis« ib. II, 361, VI, 841 sq., XII, 500, »cui« Val. I, 418, V, 47, 481 sq., Aen. II, 677 sq., »ubi« ter Val. V, 42 sq., bis VII, 442, Aen. V, 391 sq., »quando« Val. II, 298 sq., VIII, 370 sq.: qua vi — qua.

Pronomina correlativa: III, 300: talesne acies, talesne triumphos. »qualis« repetitur V, 565 sq., »quot« VI, 167, »tot« II, 216, V, 196, 484 sq., VIII, 284, Aen. X, 482, 568, 888, ib. IV, 182 sq.: tot — tot — totidem — tot. »quantum« repetitur Val. I, 168, V, 51.

Pronomina possessiva: »sua« III, 276, »nec sua« IV, 278 sq., »tua« V, 247.

4. Verborum.

»Dare« aliquoties repetitur, ut I, 352, IV, 360 sqq., V, 515 sq., 617, Aen. III, 85, »esse« III, 272: sumus heu Minyae, sumus hospita turba, ib. 449 sq., Aen. I, 462 sq., II, 325, VI, 266, ter repetitum ib. XII, 22 sqq., 826 sq., alia verba Val. III, 584 sq., IV, 565, V, 123, 165, 372, VI, 158, 236 sq., 334, VII, 573, VIII, 449 sq., IV, 374 sq.: flevit — flerunt — flevit. cfr. III, 722 sq.: flet — maerent — ingemit. Vergilii loci inveniuntur Aen. I, 421 sq., 709, II, 143 sq., 306, 499 sqq., 560 sqq., 702, III, 41 sq., 44, V, 796 sq., VII, 516, VIII, 161, IX, 394, X, 429, XI, 818, XII, 678.

3. Adverbiorum.

»Non« ter repetitum II, 148, 296, VI, 225 sq., VIII, 458 sq., Aen. IV, 600 sq., VI, 47 sq., X, 358, »non« bis in initio positum I, 229, II, 44 sq., 120, 250, 282 sq., 317, 505 sq., III, 215, 644, 699, IV, 102, 145 sq., V, 218, 595, VI, 68 sq., 471 sq., 672, VII, 89, 203 sq., Aen. IV, 36, 86, V, 334, 646, VIII, 376, IX, 148, 285 sq., XI, 567, XII, 151, 427, 911, »non ut« ib. XII, 815, »nil« Val. I, 702, V, 298 sq., Aen. XI, 227 sq., »haud« Val. V, 354. Saepissime repetitur »iam«, ut Val. II, 8, 157 sq., 252, 304, 346, 429, 552, III, 221 sq., IV, 236, V, 600, 647, VI, 319, 597, VIII, 214 sq., Aen. I, 120, VII, 53, 790, IX, 461, XI, 184, »iam tum« ib. VIII, 349 sq., »iamque« Val. II, 124 sq.: iamque advolat ultro impatiens, iamque ora parat, iam suscitat aures, qua repetitione festinatio bene pingitur. VI, 507, VII, 630. III, 357 et Aen. IV, 157: iamque — iam. Val. III, 703: iamne — iam. »nunc« repetitur III, 705 sq., Aen. V, 191 sq., VI, 261, IX, 12, X, 280 sq., 368, XI, 403 sq. »nunc« ter in initio positum Aen. IV, 376 sq., VIII, 441 sq. »nunc quo« Val. VI, 581, »quo« Aen. V, 741, »tunc« Val. II, 362, IV, 699, »tum« ter repetitur IV, 42, bis II, 167, 547, IV, 11, VII, 504 sq., VIII, 295 sq., »saepe« III, 712, Aen. III, 185, »semper« Val. IV, 266 sq., V, 583, Aen. IV, 466 sq., V, 49 sq., VIII, 76, »iterum« Val. IV, 400, VI, 300 sq., VIII, 353, »ante« V, 222, »hic« I, 362 sq., II, 598 sq., V, 78, Aen. I, 16 sq., III, 399 sqq., XI, 215, ter repetitum ib. VI, 479 sqq., quater »hic« repetitum ib. II, 29 sq., »hinc« Val. I, 585 sq., Aen. III, 111 sq., »hinc« ter repetitur ib. II, 97 sq., »huc« bis in initio ponitur Aen. XI, 855 sq., »ubi« Val. VI, 336 sq., VII, 442, ter »ubi« repetitur Aen. I, 99 sq., »nec quo« bis ponitur Val. VII, 297, »nusquam« VII, 85, »unde« I, 219 sq., IV, 570: unde procul venti, procul unde volucres, Aen. I, 743, »sic« Val. III, 282, IV, 7 sq., V, 664, VI, 407 sq., Aen. X, 875, »sic« ter repetitur ib. III, 490, V, 218 sq. »tam« bis ponitur Val. IV, 551, »quam« VI, 719 sq., VIII, 98, 192 sq., »satis« VI, 548 sq., »ut« VII, 119 sq., Aen. VIII, 154 sq., »ut« ter repetitur ib. VIII, 288 sqq., »vix« bis ponitur Val. IV, 262, »contra« VII, 307,

»cur« Aen. XI, 423 sq., »quoties« ib. IV, 351 sq., »num« ter repetitur ib. IV, 369 sq., VII, 294 sq., bis ib. X, 70, »etiam« ib. VI, 485, »simul« ib. I, 631 sq., V, 675, XII, 268.

6. Numeralium.

»ter« ter repetitur Aen. VIII, 230 sqq., bis Val. III, 347 sq., 441, Aen. II, 792 sq., III, 566 sq., IV, 690 sq., VI, 700, X, 685, 885 sq., XI, 188 sq., »septem» Val. VIII, 187, »centum« VI, 559, »bis« Aen. II, 218, VI, 32 sq., XI, 629 sq., »duo« ter repetitur ib. V, 77 sq.

7. Praepositionum.

»iam non per« repetitur VI, 567, »per« ib. 654, Aen. I, 204, II, 358, 527, 664, III, 599 sq., IV, 314 sqq., VI, 458 sq., X, 369 sq., 597, 783 sq., XI, 497, XII, 56, 682. »per« ter in initio positum ib. VI, 363 sq., »perque« repetitur ib. XI, 696, »tecum« Val. VIII, 50, »te propter« Aen. IV, 320 sq., »sine« ib. V, 56, VI, 431, »pro« ib. II, 183, XII, 820, »post« ib. II, 283 sq., »circum« ib. IV, 254, »in« ib. X, 677, »in te« ib. XII, 656 sq., »inter« ib. VII, 404, »extra« ib. VI, 795 sq., »contra« ib. VII, 583 sq., »supra« ib. XII, 839.

8. Coniunctionum:

»sed« IV, 604: sed qualis, sed quanta, ubi repetitio orationem intendit. VI, 673, VIII, 348, quo loco »sed« ter repetitum est. »at« III, 667 sq., »si« saepius ingeminatur, ut I, 323 sq., III, 184, IV, 572, VII 276 sqq., Aen. II, 54, 161, V, 798, VI, 133, XI, 411 sq., »si« ter repetitur Val. VII, 501 sq., Aen. VIII, 574 sqq. — Val. VI, 311: si pietas nati, si dextra fuisset, i. e. si faciens officium filius te occidisset. Saepe enim Valerius repetitione utitur, ut priorem enuntiati partem obscuram posteriore parte perlucidam faciat. V, 378: si dea, si magni decus huc ades, inquit, Olympi. Aen. XI, 116: si bellum finire manu, si pellere Teucros. »quin« repetitur I, 808, cum hoc loco codex Carrionis optimam lectionem habere videatur. »nempe«

VI, 282, VII, 440 sq., »dum« III, 651, Aen. IV, 336, »dum« ter repetitur ib. VIII, 580 sq., »cum« bis ponitur ib. IV, 524 sq., V, 627, »cum iam« ib. XII, 821 sq.

9. Interiectionum.

»o« I, 721, IV, 30, Aen. II, 241, XI, 732, »pro« Val. II, 291, »en« III, 510, »heu« VII, 533, Aen. VI, 878.

Persaepe Valerius posteriori vocabulo, praecipue adverbio »iam« et pronomini relativo, copulam »que« vel »et« vel aliquoties »ve« adiungit. Saepe legitur iam — iamque, ut II, 589, IV, 308 sq., 417, 443, V, 366, VIII, 345 sq., 365 sq. V, 71: iam — et iam. Aen. I, 697 sqq.: iam — iam — et iam. Posteriori relativo copula haud raro in Valerii libris coniuncta est, ut VI, 589: quem tueor quemque ipsa vides. VII, 15, 129 sq., 167, VI, 355: quem — quem — quemque, VII, 329 sq.: quae — quae — et quae. Aen. IV, 212 sq.: cui - cuique, ib. II, 387 sq.: qua — quaque. — Alia Valerii exempla habes III, 153 sq.: Glaucum sequitur Glaucumque ruentem occupat. VI, 368: Canthum sequitur Canthumque reposcit. cfr. Aen. X, 810: Lausum increpitat Lausoque minatur. Val. VI, 647: Scythiae saturare canes Scythiaeque volucres. VII, 311 sq.: questu superos questuque fatigat Tartara. II, 168 sq.: oscula iamque toris adque oscula postibus ipsis ingeminant. VI, 237: docilis relegi docilisque reponi. IV, 631: me — meque. V, 150 sq.: vos — vos et. cf. VIII, 448: talis — talemque. VIII, 387 et Aen. II, 101 sq.: quid — quidve, Val. VII, 36 sq.: quis — quisve, ib. 218 sq.: quae — quaeve. IV, 533: agnoscit — agnoscit et. VI, 84: linquitur — linquitur et. Aen. III, 470: addit — additque. Val. III, 30 et Aen. I, 298: ut — utque. Aen. I, 486: ut — ut — utque. cfr. Val. V, 212 sq.: promittis ut ecce utque vocas. III, 450 sq.: procul — et procul. VII, 498 sqq.: per — perque — adque per. Aen. VI, 268 sq.: per — perque. Val. IV, 472: si — vel si. Aen. XI, 368 sq.: si — si — et si.

Denique breviter memoro, Valerium illa quoque in re Vergilii imitatorem esse, quod substantivorum diversi generis

suum cuique adiectivum tribuens figura epanaphorae non integra vel mera utitur. Exempla exstant III, 704: nulla fides, nulli super Hercule fletus. VI, 453: nullum mente nefas, nullos horrescere visus. VII, 244: nulla quies animo, nullus sopor. VIII, 162 sq.: nullae — non ulla — non ullus. ib. 209 sq.: nulla palus, nullus amnis. II, 96: has epulas, haec templa, ut V, 379, VI, 335, VII, 417. Vergilii similia exempla inveniuntur Aen. IV, 347, VI, 129, VII, 122, 331 sq., VIII, 351, XI, 739, XII, 572. Val. VII, 89 sq.: non hos — non hanc. V, 514 sq.: hoc — haec — his. Aen. VIII, 185 sq.: haec — has — hanc. Val. VI, 404 sq.: isdem — eadem — idem. VI, 2: quas acies — quae castra. IV, 629 sq.: quaenam praemia — quas grates. VII, 529: quis fragor — quaenam ruinae. III, 511: quam Nemeen — quae flumina. III, 304 sq., VII, 40. Vergilii exempla exstant Aen. I, 331, 605 sq., VI, 670, VII, 37 sq., 642, VIII, 385, IX, 526, 782, X, 72, XI, 732 sq., XII, 320. Val. VI, 332: quodcunque pecus — quaecunque ferarum. Similiter VII, 480, VIII, 4 sq. cfr. Aen. X, 493. Val. VI, 515: quis tales obitus dederit, quis talia facta. VII, 92: alium hic Pelian, alia aequora cerno. cfr. ib. 448: inque alios casus, alias si mittet ad urbes. IV, 62 sq.: in quem alium Alciden, in quae iam tempora differs Caucaseum senem. VI, 185: alternus cruor alternaeque ruinae. VII, 352 sq.: maiora carmina, maiores vires. Aen. VII, 44 sq.: maior ordo, maius opus. Alia Vergilii exempla huiusmodi sunt Aen. I, 341, 657 sq., 664, VI, 626 sq., VIII, 39, XII, 393. Atque haec quidem hactenus, cum demonstrasse mihi videar, et Vergilio et Valerio huius figurae summum studium fuisse.

β. παλιλλογία.

Auctor. ad C. Herenn. IV, 28, 38: Conduplicatio est cum ratione amplificationis aut commiserationis eiusdem unius aut plurium verborum iteratio, hoc modo: Tumultus, C. Gracche, tumultus domesticos et intestinos comparas. — Vehementer auditorem commovet eiusdem redintegratio verbi et vulnus maius

efficit in contrario causae, quasi aliquod telum saepius perveniat in eandem corporis partem. Quint. IX, 3, 28: Verba geminantur, vel amplificandi gratia, ut: occidi, occidi non Spurium Maelium, vel miserandi, ut: a Corydon, Corydon.

Rarius quidem haec figura invenitur quam epanaphora, sed satis usitata Valerio est.

1. Substantivorum.

I, 209 sq.: vox reddita tandem, vox horrenda viris. ib. 245: deus haec, deus omine dextro imperat. Aen. VI, 46: deus, ecce, deus. ib. II, 602 sq.: divom inclementia, divom. Val. III, 271: deus haec, deus asper utrisque inplicuit. III, 596 sq.: rursus Hylan et rursus Hylan per longa reclamat avia, Verg. Eclog. VI, 44: ut litus Hyla Hyla omne sonaret, quibus locis non minus iucunda repetitio est quam Val. IV, 327 sq.: »salve vera Iovis, vera o Iovis« undique »proles« ingeminant. Ingeminatio optime pingitur. Alia exempla sunt III, 144 sq., IV, 567, 644, VIII, 181 sq., Aen. II, 668, 733, VII, 586 sq., VIII, 71, X, 180 sq., XII, 673 sq., 896 sq.

2. Adiectivorum.

VII, 44 sq.: spreverit una, una ratis. Aen. X, 691 sq.: omnibus uni, uni odiisque viro instant.

3. Pronominum.

II, 180 sq.: mene ille novis, me destinat amens servitiis? Idem est VIII, 441 sq. VII, 63 sq.: me quoque vomere presso, me quoque e. q. s. VIII, 434: meque ecce (nefas) me reddere poscunt. Vergilii similes loci exstant Aen. IX, 427: me me (adsum qui feci), in me convertite ferrum. ib. VIII, 144 sq.: me, me ipse meumque obieci caput. ib. XII, 260: me, me duce. — Val. IV, 745: nos quoque, nos Amycum. IV, 242 sq. »tune« repetitur. Aen. VI, 834: tuque prior, tu parce. ib. VII, 41: tu vatem, tu, diva, mone, ib. IX, 404: tu, dea, tu. cfr. ib. VIII, 84, VI, 695. — Val. VI, 729: vos superi, vos

augurio iussistis inani. V, 18: hoc, pater, hoc nobis refove caput. VII, 268: haec, precor, haec dominae referas. I, 642 sq., Aen. VI, 791: hic vir, hic est, ib. XII, 259, ib. XI, 766: hos aditus iamque hos aditus. — Val. I, 344 sq.: ille dies ille super. »illum« repetitur VII, 165 sq., »ipsum« I, 47 sq., »ipsa« VII, 346: ipsa etiam, fateor, tunc ipse volebam. I, 343: tales, tales ego.

4. Verborum.

II, 422: i, memor i terrae. Aen. VI, 546: i decus, i nostrum. Val. V, 636 sq.: imus nos, protinus imus in nemus. V, 223: falli meriti meritique relinqui. IV, 360 sqq., VIII, 181 sq., Aen. III, 639, VI, 697 sq., XI, 205.

5. Adverbiorum.

VIII, 108: iamque omne nefas, iam, spero, peregi. Aen. XII, 179: iam melior, iam, diva, precor. Val. I, 216: nunc, patrui nunc flecte minas. VIII, 73 sq.: sed nunc, nunc age. Similiter Aen. V, 189: nunc nunc insurgite, ib. VIII, 579: nunc o nunc liceat, ib. XII, 95 sq., 526. — Val. VII, 217: o tandem, vix tandem reddita. VIII, 353: iterum Aesonides, iterum defenditur, Aen. II, 770: nequiquam ingeminans iterumque iterumque vocavi, ib. III, 436, VIII, 527. — Val. I, 214 sq.: sic amplexu, sic pectora fratris, Iuno, tene. Idem est ib. 566, Aen. II, 644, IV, 660. Aen. V, 670: quo nunc, quo tenditis? ib. IX, 781: quo deinde fugam, quo tenditis? »procul« repetitur ib. VI, 258, »nimium« ib. XI, 841.

6. Coniunctionum.

VII, 273 sq.: ne vota repellat, ne mea. Aen. VIII, 532: ne vero, hospes, ne quaero profecto, ib. VI, 832, XI, 278, XII, 72. — Val. VII, 198 »si« repetitur, quo loco pro altero »si« Baehrensius »et« scripsit, sed mutatione opus non est, cum in affectu animi ingeminatio vocabuli »si« apta sit. Aen. II, 756: si forte pedem, si forte tulisset.

7. Interiectionum.

VII, 135: o utinam o tantum, Aen. I, 198 sq. Val. VII, 534: o utinam o nullo, ib. 546: en vocor en ultro. En bis repetitum hoc loco ironicam habet admirationem.

γ. κύκλος.

Quint. IX, 3, 34: respondent primis et ultima. Accuratius haec figura definitur ab Hermogene (Walz. Rh. Gr. vol. III p. 170 sq.): *κύκλος γίνεται, ὅταν ἀφ' οὗ ἄρξηταί τις ὀνόματος ἢ ῥήματος, εἰς τὸ αὐτὸ καταλήξῃ πάλιν, μήτε πτῶσιν ἀλλάξας μήτε σχῆμα μήτε χρόνον μήτε ἀριθμὸν μήτε ἄλλο τι.*

IV, 488 sq.: simul aequora servant astra simul. Aen. IX, 318 sq.: simul arma iacere, vina simul. Val. V, 551 sq.: fare, an patriam spes ulla videndi, fare. Aen. VI, 51 sq.: »cessas in vota precesque, Tros«, ait, »Aenea cessas?« Val. VII, 37: tu prima malorum causa mihi, tu. Aen. I, 750: multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.

δ. ἐπαναστροφή.

Hermog. (Walz. l. l. p. 286): *ἐπαναστροφὴ γίνεται, ὅταν τὸ τέλος τοῦ κώλου ἑτέρου κώλου τις ἀρχὴν ποιήσεται.* (Walz. VIII p. 552): *ἀναστροφὴ δέ ἐστι τὸ αὐτὸ καὶ ἐπαναδίπλωσις, ὅταν, ἔνθα πέπανται τὸ πρῶτον κῶλον, ἐκεῖθεν ἄρχηται τὸ δεύτερον.*

Raro Valerius et Vergilius hanc figuram adhibent. Exempla exstant Val. VIII, 250: odit utrumque simul, simul et miseratur utrumque. I, 89, IV, 641 sq., Aen. III, 523, X, 751.

His repetitionis exemplis alia addi possunt. Saepe enim non in initio, sed in medio duorum pluriumve enuntiatorum vocabulum repetitur. Pauca exempla afferam. II, 270 sqq.: teneat virides elatus habenas ut pater, in nivea tumeant ut cornua mitra et sacer ut Bacchum referat scyphus. Vide, quam satis longe coniunctio »ut« ab initio remota sit. III, 46 sqq., IV, 366 sq., V, 125 sq., 287,

509 sq., VII, 385, VIII, 212, 437 sq., Aen. I, 607 sq., XII, 698, 701 sq.

Saepe quoque poetarum more brevi intervallo interposito eadem aut eiusdem originis vocabula repetuntur. Exempla habes II, 593 sq.: fatisque simillima nostris fata, Aen. I, 239: fatis contraria fata rependens, ib. VII, 293 sq.: fatis contraria nostris fata Phrygum. Val. IV, 659 sq.: adversaque saxis saxa, Aen. II, 608 sq.: avolsaque saxis saxa. Val. V, 84: addita fretis referens freta, Aen. IV, 628 sq.: litora litoribus contraria, fluctibus undas imprecor, arma armis. Val. V, 276: ille dies alterque dies, Aen. III, 356: iamque dies alterque dies. Val. VII, 163 lego cum Loehbachio[1]) »patris, patriis«, quod melius est quam Baehrensii coniectura »tori«. Ut Iuno id quod volebat, assequeretur, Medeae amorem patris vinci necesse erat, quod cum illa patrem valde amaret, erat difficillimum. cfr. ib. 140, 144. Quam ob rem Venus ib. 222 sqq. amorem patriae ex animo Medeae eicere potissimum studet.

In comparationibus non raro idem verbum et in priore et in posteriore parte positum est, ut III, 588 sqq.: velut leo fertur, sic — Tirynthius fertur.

b. Figurae, quae detractione fiunt.

Cum id genus, quod Quintilianus IX, 3, 62 affert: (figura), quae dicitur *ἐπεζευγμένον*, in qua unum ad verbum plures sententiae referuntur, quarum unaquaeque desideraret illud, si sola poneretur, figura grammatica potius quam rhetorica sit, hoc loco sola de figura zeugmatis angustiore sensu intellecta, quae *σύλληψις* vocatur, disseram. Tryph. (Walz. l. l. p. 753): *σύλληψίς ἐστι φράσις τὸ ἰδίᾳ τινι συμβὰν κατὰ δύο τιθεῖσα.* Anonym. (Walz. vol. VIII p. 720): *σύλληψίς ἐστι φράσις τὸ ἄλλως πραχθὲν ἐφ᾽ ἕτερον ἕλκουσα.* Sed duae species distinguendae sunt. Prior fit, si verbum, ad quod duae sententiae referuntur,

---

[1]) Studien p. 13.

et sensu proprio et metaphorice intellegendum est, posterior evadit, cum unum verbum cum duobus substantivis iungitur, quorum uni tantum aptum est, ad alterum aliud verbum mente addendum est.

α. Gravissima exempla Valerii mihi videntur haec: V, 78: hic resides thiasos, hic aera moventem. »Aera movere« sensu proprio, »thiasos movere« pro »saltationes, choreas renovare« metaphorice dictum est. V, 431 sq.: at iuga vix Thetys sparsumque recolligit axem et formidantem patrios Pyroenta labores. »Pyroenta recolligere« translatio est pro: mulcendo mitigare. V, 503 sq.: deumque nos genus atque ratem magnae sensere Minervae. »Deum nos genus esse sensere« notissima translatio est, »ratem sensere«, i. e. suo incommodo ratis effectum cognoscere, non translatio, sed praegnans, ut dicitur, locutio est. ib. 616: quisque suis tum vota deis et pocula fundit. ib. 659 sq.: qui iussa sui tam dira tyranni impavidus maria et nondum qui nota subibat. »Maria subire« proprie, »iussa subire« metaphorice dicitur. VI, 27: armaque et acres sponte sua strepuere tubae. »Tubae strepuere« translatio est, quae nisi apud poetas non invenitur.

β. I, 115 sq.: imbrem et tenebras saevumque tridentem iam iam ego et inviti torsissem coniugis ignem. Verbum torquendi aptum est ad substantiva ignis et tridentis, poetice de imbre usurpari potest, sed ad tenebras »misissem« vel simile verbum mente addendum est. III, 131: (Typhon) igne simul ventisque rubens. »Ventis erubescere« dici non potest. ib. 262 sq.: illi autem neque adhuc gemitus neque conscia facti ora levant. »Gemitus ferre, fundere, reddere, trahere« dicitur, non »gemitus levare«. IV, 379: quos ore lacus, quae pabula carpsit! »Lacus vel aquam carpere« pro »bibere« Latinum non est. VII, 29: vota prius captasque deis accendere praedas. Ad substantivum »vota« verbum »solvere« vel »reddere« mente addendum est. Sed hoc loco cum Italis quibusdam Heinsius et Baehrensius non male »appendere« scripserunt. ib. 269 sq.: illi has ego

voces qua datur, hasque manus, ut possum, a litore tendo. »Tendo« ultimo tantum verbo proprie accommodari potest. VIII, 254: pars veribus, pars undanti despumat aeno. Cum ad verba »pars veribus« verbum assandi, ut Thilo[1]) recte dicit, non facile mente addatur, ob eamque causam zeugma singulare hoc loco sit, Ph. Wagnerus[2]) locum corruptum esse iure censuit, qui coll. Verg. Aen. I, 212 et Georg. I, 296 hoc loco Valerium sic scripsisse putat: pars veribus figit trepidantia viscera acernis, pars foliis undam ingenti despumat aeno. Schenkelius[3]) mavult: pars foliis lympham undanti despumat aeno. Zeugma dignissimum, quod commemoretur, legitur IV, 66 sq.: sat tibi furtum ignis et aetheriae defensa silentia mensae. Non furtum ignis, sed ignis caelestis ipse defensus est. Furtum ignis deus ultus est. Sed satis de hac figura dictum est, cum alios Valerii locos iam Thilo[4]) congesserit et apud Ovidium, Horatium aliosque poetas non pauca similia exempla exstent.

c. Figurae, quae ordine fiunt.

Hoc loco *ὑπερβατόν* id est verbi transgressionem tractabo, quam Quintilianus, cum clari quoque auctores tropis hoc genus eximant (XI, 1, 3 et 6), tropum esse putat. Rectissime autem addit VIII, 6, 67: alioqui, ubi nihil ex significatione mutatum est et structura sola variatur, figura potius verborum dici potest, sicut multi existimarunt. Trypho definit *ὑπερβατόν* hoc modo (Walz. l. l. p. 743): *ὑπερβατόν ἐστι λέξις μετακεκινημένη ἀπὸ τῆς ἰδίας τάξεως.*

Tripartitam autem hanc partem esse volui, primum enim de tmesi, tum de synchysi, denique de chiasmo disseram.

α. De tmesi vel diacope.

Cum haec figura, quam Trypho *ὑπερβατὸν ἐν λέξει* nominat, notissima sit, pauca exempla attulisse satis erit. II, 348:

[1]) prol. p. XXII. — [2]) Jahn. ann. l. l. p. 388 sq. — [3]) Studien p. 383. — [4]) prol. p. XXII sq.

circum pateris it Bacchus. III, 418: circum tacito volitabant somnia mundo. IV, 488: circumque iacent, Aen. II, 218 sq., XII, 162 sq. Aliquoties simul cum tmesi anastrophe praepositionis invenitur, ut V, 694: fertque gravem Phrygius circum cratera minister. ib. 336: stetit arduus inter. VIII, 93: fusis circum. Vergilii exempla habes Aen. II, 767: stant circum, II, 793 et VI, 700: collo dare bracchia circum, X, 399: fugientem Rhoetea praeter, XII, 433: fusis circum armis.

β. De synchysi.

Valerius multo liberior quam Vergilius est in collocatione verborum et in transponendis vocabulis, qua de causa fit, ut multae obscuritates et difficultates inveniantur. Consecutio verborum quaesita est, et quo artificior est series verborum, eo magis Valerio placere videtur. Cum autem eius collocatio vocabulorum saepissime permixta et perturbata sit, tamen, si accuratius spectatur, certi et firmi, sed artificiosi modi verborum collocandorum non desiderantur. Quod ut melius intellegas, exempla nonnulla afferam. Studium Valerii ea disiungendi, quae ex sententia et ex grammatica ratione coniungi necesse est, hac quoque collocatione perspici potest.

Si duo verba ab eodem subiecto pendent, unam partem subiecti in priore, alteram in posteriore bipartiti enuntiati parte ponere solet. Exempla exstant III, 10 sq.: primas coniunx Percosia vestes quas dederat picto et Clite variaverat auro. Quo loco collocatio verborum consueta esset: quas coniunx Percosia Clite e. q. s. VI, 429 sq.: cum Iuno Aesonidae non hanc ad vellera cernens esse viam nec sic reditus regina parandos, quo loco Ph. Wagnerus[1]) Zinzerlingii coniecturam »in regna« pro »regina« recipi vult, cui non accedo, cum Valerius talia saepius habeat. II, 175: flet Venus et saevis ardens dea planctibus instat. cfr. Aen. IV, 127 sq. Alia Valerii exempla habes I, 608, V, 473 sq., VI, 505 sq., VII, 261 sq., VIII, 298 sq. VII, 79 sqq.: ad iuvenem pallentia rettulit ora contremuitque metu, ·ne

---

[1]) Jahn. ann. l. l. p. 386.

nescius audeat hospes seque miser ne posse putet. Vide variationem verborum: iuvenem — hospes — miser. Similis locus Vergilii exstat Aen. I, 491 sqq. cfr. Val. III, 487 sq.: illum ubi Iuno poli summo de vertice puppem deseruisse videt, tempus rata diva nocendi, Aen. XII, 870, Val. V, 35 sq.: non tulit Aesonides geminis flagrantia cernens corpora cara rogis, sed pectore ductor ab imo e. q. s. »Ductor« pro pronomine »ille« est, ut Ph. Wagnerus[1]) recte vidit. Saepe autem illius collocationis amor efficit, ut pronomen in uno, substantivum in altero enuntiato ponatur. IV, 172: sed et ille quierit oro nec vanis cladem Lycus augeat armis, pro: sed et ille Lycus e. q. s. VII, 303 sq. ib. 471 sq.: atque ipse fremens miserabitur et me respiciet fortasse pater. III, 604, V, 149, 437. Quae cum ita sint, lego V, 412 sq.: at medii per terga senis rapit ipse nitentes altus equos curvoque diem Sol traxit Olympo. »Subtexit« praebet codex Vaticanus, Baehrensius scripsit »subduxit«, Meynckius[2]) »subtraxit« coll. IV, 97: traxitque diem candentibus undis. Si totum locum leges, vocabulum »Sol« abesse non bene posse mihi concedes. Accedit quod similis verborum collocatio invenitur I, 503 sq.: sed non et Scythici genitor discrimine nati intrepidus tales fundit Sol pectore voces. cfr. V, 304 sq.: qualiter ex alta cum Iuppiter arce coruscat, Pliadas ille movens. Simili modo pronomen »ille« repetitur ib. 484, si Gronovii coniectura, quod puto, recte se habet, et VI, 672. Subiectum disiungitur quoque III, 98 sq.: stellantia Mopsus tegmina et ingentem Corythi notat Eurytus umbram, i. e. Mopsus et Eurytus tegmina et umbram vident.

Obiecti quoque partes saepe disiunguntur, ut VI, 280 sq.: ille morantes increpat et stricto sic urget Iazygas ense. Alia exempla habes I, 352, IV, 128 sq., VI, 711 sq., VII, 492. Quam ob rem editores non recte interpunxisse puto VII, 46: ipsum offerre meos ipsum me pandere lucos, quo loco editores omnes post »offerre« interpungunt. Valerii autem dicendi genus et

---

[1]) Iahn. ann. l. l. p. 386. — [2]) Mus. Rhen. l. l. p. 365.

caesura et epanaphora postulare mihi videntur, ne »meos« ab »offerre« commate seiungatur, sed post »meos« comma ponendum est. Similis locus est VII, 231: fas mihi non habiles, fas et tibi linquere Colchos.

Similiter adiectivum et substantivum posita sunt II, 180 sq.: meme ille novis, me destinat amens servitiis? — Verbum et obiectum disiuncta sunt V, 675: quolibet ista modo, quacumque impellite pugna. VI, 200 sq.: nescit cui debeat Ocheus, aut cui fata Tyres, i. e. nesciunt Ocheus et Tyres, cui fata debeant. — Eodem modo subiectum et praedicatum disiunguntur VI, 559 sq.: centum lecta boum bellator corpora, centum pactus equos. — Denique compara exempla ut I, 329 sq.: quos iam mente dies, quam saeva insomnia curis prospicio! Vide, quomodo »mente« a »prospicio« remotum sit. VI, 453: nullum mente nefas, nullos horrescere visus.

Initium et finem enuntiati saepissime adiectivum et substantivum vel alia duo vocabula similiter inter se coniuncta faciunt, ut I, 193 sq., 358 sq., 438 sq., 500, 728 sq., II, 51 sq., 74 sq., ubi copula ob hanc collocationem, ut saepius coniunctiones quoque et pronomen relativum, secundum locum obtinet. II, 162 sq., 176 sq., 263 sq., 295, 420 sq., 465 sq., 466 sq., 517, 604 sq., 658, III, 195 sq., 393 sq., 473 sq., 583 sq., 693 sq., IV, 32 sq., 346 sq., 360 sqq., 628 sq., V, 130 sq., 156 sq., 463 sq., 496 sq., VI, 399 sq., 405 sq., 476, VII, 19 sq., 63 sq., 218 sq., 271 sq., 400 sq., 401 sq., 438 sq., 519 sq., 647 sq. Vergilii exempla inveniuntur Aen. II, 146 sq., 446 sq., IV, 283 sq., V, 664 sq., 760 sq., VI, 54 sq., 687 sq., X, 583 sq., XI, 296 sq., XII, 447 sq., 452 sq. — Obiectum et verbum ita posita sunt Val. I, 71 sqq., II, 154 sq., subiectum et obiectum VI, 65 sq., duo verba unius enuntiati IV, 354 sq., 501 sq., 505 sq., VII, 640 sq., Aen. X, 776 sq., XII 665 sq.

Eodem modo versus eiusdem initium et exitum faciunt saepissime duo arcte coniuncta vocabula, si figura chiasmi adhibetur, praecipue si secundum formulam a b c b a vocabula ordinata sunt. Alia exempla habes I, 105, 221, 256, 277, 356,

357, 419, 443, 476, 497, 599, 751, 775, II, 18, 123, 269, 286, 437, quo loco »at« secundum locum obtinet. Saepe enim propter hanc quoque collocationem vocabula ab enuntiati initio removentur. III, 37, 130, 146, 432, 483, 652, 707, IV, 40, 85, 139, 150, 187, 397, 403, 421, 550, 630, V, 2, 17, 55, 441, 566, 619, VI, 60, 155, 230, 402, 479, 517, 535, 746, VII, 153, 371, 547, 574, VIII, 60, 201, 283, 308. Vergilii exempla habes Aen. I, 91, 233, 265, 353, 551, 615, II, 185, 582, III, 162, 241, 365, 382, 475, 565, IV, 92, 513, 553, 631, V, 116, 118, 143, 161, 492, 570, 658, 816, 819, VI, 17, 28, 137, 141, 296, 301, 335, 659, 705, 877, VII, 62, 63, 127, 176, 183, 362, 410, 549, VIII, 32, 58, 116, 235, 280, 300, 526, 690, 704, IX, 15, 730, X, 452, 484, 660, 750, XI, 449, 532, 743, 760, 782, 817, XII, 80, 98, 212, 238, 286, 451, 484, 487, 602, 779, 927.

Subiectum et praedicatum ita posita sunt Val. IV, 137, 501, V, 399, 446, 616, VI, 29, 150, 406, 416, 646, Aen. VIII, 644, X, 341, XII, 641, 751, subiectum et obiectum Val. III, 487, VI, 189, VII, 1, 237, VIII, 287, verbum et obiectum I, 449, IV, 442, V, 28, VI, 74, VII, 12, Aen. I, 50, II, 153, III, 130, 281, VI, 290, IX, 227, X, 65, duae bipartiti subiecti partes Val. I, 567, II, 620, III, 471, IV, 482, duo adiectiva vel participia cohaerentia III, 129, VI, 252, 255, Aen. V, 279, duo substantiva eiusdem enuntiati Val. VI, 148, 151, VII, 29, 255, 563, duo verba unius enuntiati I, 183, 259, 450, II, 161, 162, 169, 170, 175, 446, III, 38, 195, 390, 435, 469, 509, 540, 546, IV, 144, 149, 395, V, 241, 586, 668, 672, VI, 489, 521, 591, 610, 630, 655, 658, 712, 744, VII, 197, 254, 311, 384, 436, 507, VIII, 25, 36, 86, 386, Aen. I, 197, 356, 402, 588, II, 68, 378, 532, 590, 688, 700, 704, 744, 758, 760, 804, III, 68, 83, 188, 258, 314, 436, 592, 669, 718, IV, 76, 214, 374, V, 234, 238, 445, 526, 611, 619, 748, VI, 111, 159, 210, 213, 331, 439, 506, 723, 759, VII, 119, 132, 211, 347, 618, 782, VIII, 165, 507, 615, 730, IX, 113, 348, 369, 449, 463, 502, 553, 555, X, 387, 867, XI, 315, 319, 427, 481, 685, 761, 784, 825, 909, XII, 55, 66, 145, 378, 470, 536, 569, 683, 696, 780, 785, 787, 814, 841,

944, duo sibi adversa vocabula Val. I, 353, praepositio et ex ea pendens casus V, 187.

Duo vocabula arcte cohaerentia, ut adiectivum vel pronomen et substantivum, non raro posita sunt in initio duorum versuum continuorum, ut I, 100 sq., 281 sq., 420 sq., 540 sq., 634 sq., II, 361 sq., 550 sq., III, 8 sq., 150 sq., 243 sq., IV, 276 sq., 602 sq., V, 297 sq., 348 sq., 425 sq., 433 sq., 483 sq., VI, 427 sq., 436 sq., 604 sq., 611 sq., VII, 43 sq., 62 sq., 375 sq., 610 sq., Aen. II, 58 sq., 165 sq., 183 sq., 364 sq., V, 256 sq., 390 sq., VII, 222 sq., VIII, 324 sq., XII, 103 sq., 579 sq. Subiectum et praedicatum ita posita sunt Val. I, 15 sq., 127 sq., 205 sq., 473 sq., 487 sq., 528 sq., 591 sq., II, 261 sq., 441 sq., 518 sq., III, 191 sq., 389 sq., 409 sq., 487 sq., 495, 527 sq., 547 sq., V, 91 sq., 135 sq., 198 sq., 353 sq., 356 sq., VI, 114 sq., 160 sq., 189 sq., 243 sq., 263 sq., 367 sq., 384 sq., 747 sq., VII, 109 sq., 589 sq., 593 sq., VIII, 117 sq., 224 sq., 234 sq., 241 sq., 261 sq., 298 sq., 328 sq., 337 sq., Aen. VI, 290 sq., X, 88 sq., XI, 182 sq., 888 sq., XII, 241 sq., 665 sq., subiecti pars et praedicatum Val. VII, 147 sq., 271 sq., 574 sq., VIII, 92 sq., 125 sq., 308 sq., subiectum et obiectum I, 841 sq., II, 555 sq., III, 290 sq., 341 sq., 533 sq., Aen. XII, 750 sq., obiectum et verbum Val. I, 48 sq., 134 sq., 260 sq., 763 sq., 781 sq., II, 153 sq., 434 sq., 503 sq., III, 424 sq., IV, 419 sq., 535 sq., V, 493 sq., 567 sq., VI, 65 sq., 103 sq., 317 sq., 322 sq., 495 sq., VII, 1 sq., 495 sq., Aen. II, 509 sq., III, 149 sq., duo verba unius enuntiati Val. I, 568 sq., 816 sq., II, 365 sq., 516 sq., 527 sq., III, 100 sq., 229 sq., 476 sq., 549 sq., IV, 320 sq., 487 sq., 517 sq., V, 438 sq., VI, 340 sq., VII, 509 sq., VIII, 356 sq., Aen. I, 187 sq., II, 510 sq., III, 607 sq., V, 750 sq., VI, 621 sq., IX, 410 sq., 736 sq., XI, 561 sq., XII, 299 sq., duo sibi adversa vocabula Val. II, 152 sq.

Eodem modo in fine duorum continuorum versuum coniuncta vocabula inveniuntur II, 438 sq., VI, 343 sq., 408 sq., 505 sq., 537 sq., 607 sq., VII, 229 sq., VIII, 181 sq., Aen. I, 190 sq., 321 sq., 592 sq., IV, 443 sq., V, 698 sq., VII, 477 sq.,

IX, 110 sq., 205 sq., 495 sq., X, 552 sq., XII, 306 sq., 400 sq. Subiectum et praedicatum ita posita sunt Val. VIII, 304 sq., duo verba unius enuntiati VI, 300 sq., 503 sq., 510 sq., VII, 587 sq., Aen. I, 276 sq., IV, 331 sq., VI, 886 sq., X, 213. cfr. ib. I, 390 sq.

In initio versus 250 libri primi Valerii adiectivum est, in fine sequentis versus substantivum. Idem est II, 437 sq., III, 23 sq., IV, 647 sq., VII, 147 sq., VIII, 288 sq., I, 374 sq., Aen. V, 609 sq., VIII, 82 sq., 505 sq., XII, 473 sq., 901 sq. Subiectum et praedicatum ita posita sunt Val. VI, 42 sq., 74 sq., 563 sq., Aen. XI, 702, duo verba unius enuntiati Val. VI, 6 sq. Subiectum et duo verba in initio trium versuum posita sunt II, 512 sqq., 532 sqq., verbum et duae bipartiti enuntiati partes VI, 160 sqq., tria verba unius enuntiati ib. 550 sqq.

In initio et primi et tertii versus vocabula cohaerentia habes I, 663, Aen. VII, 187 sqq., duo verba unius enuntiati Val. V, 446 sqq., subiectum et praedicatum VI, 245 sqq.

Vocabulum, quod est in fine versus, cum altero coniunctum est, quod in initio tertii versus est positum, ut I, 660 sqq., II, 546 sqq., III, 17 sqq.

Non raro vocabula inter se coniuncta plus toto versu disiuncta sunt, ut I, 363 sq., III, 194 sqq. Sed satis superque de synchysi dixi, videsque, perplexam et valde quaesitam Valerii rationem verborum collocandorum esse, et saepe ea miro modo disiuncta, quae ex grammatica lege coniungenda sint. Plurimis autem exemplis meum iudicium de artificiosa et dura eius verborum collocatione fulcire volui.

γ. De chiasmo.

Mihi in animo non est omnes Valerii locos afferre, quibus figura chiasmi inest, sed brevissime eos solos enumerabo, quos gravissimos esse puto. III, 48 sq.: quem lucis ad horas antra tenent, patet ad medias per devia noctes, i. e. qui interdiu in antris latet, patet per devia nocte. Ex quo sequitur, ut »latet«, quod Baehrensius pro »patet« coniecit, falsum sit. cfr. IV, 542 sq.

Alia Valerii exempla chiasmi sunt I, 366 sq.: Deucalion certus iaculis et comminus ense nobilis Amphion. III, 384: ira manet duratque dolor. VI, 463: mens mihi non eadem Iovis atque aversa voluntas. II, 187 sq.: aequora cunctae prospiciunt simulantque choros. VIII, 260: turbavitque toros et sacra calentia rupit. Vergilii similia exempla habes Aen. II, 381: attollentem iras et caerula colla tumentem, VIII, 540: poscant acies et foedera rumpant, II, 750 sq., III, 456, VI, 468, IX, 487, 524, XI, 902, XII, 699. — Val. V, 380: renodatam pharetris ac pace fruentem. VI, 175: horrentem colubris vultuque tremendam. I, 486: horrentem in iaculis et parmae luce coruscum. III, 102: spumantem nimbis fluctuque arbusta ruentem. Similes Vergilii loci inveniuntur Aen. II, 13: fracti bello fatisque repulsi, III, 630: expletus dapibus vinoque sepultus, V, 267 et IX, 263: argento perfecta atque aspera signis, I, 611, VI, 520, IX, 703, X, 644.

Val. IV, 649 sq.: promissa superba ingentesque minae. V, 146: Iraeque inopes et segnis Erinys. ib. 641 sq.: curtus mihi lucus et agger quod rudis. VII, 405: abietibus tacitis aut immotis cyparissis. II, 343: atavos reges regesque maritos. VIII, 41 sq.: tantis muneribus meritisque tuis. Aen. III, 502: cognatas urbes olim populosque propinquos, ib. X, 360: Troianae acies aciesque Latinae. ib. I, 542, IV, 470, V, 612, VI, 269, 641.

Val. II, 41: quies rerum mundique silentia. IV, 477 sq.: nec credite culpam saevitiae scelerumve mihi nunc crimina pandi. VI, 680: incepti iam Iuno potens securaque fraudis. cfr. IV, 256. Aen. VII, 344: adventu Teucrum Turnique hymenaeis, ib. 651: ecum domitor debellatorque ferarum.

Val. I, 541: sic fata locos sic, VI, 416: nunc aliis, aliis nunc. cfr. VIII, 408. Aen. V, 9: maria undique et undique caelum, X, 756: caedebant pariter pariterque ruebant, VIII, 545, XII, 342 sq.

Saepissime Valerius in binis arcte coniunctis vocabulis, praecipue in binis substantivis et adiectivis figura chiasmi (a b b a)

utitur, ut I, 18: Grais Helice servanda magistris, ib. 63: externo liventia mella veneno. ib. 145: invito victorem Nestora tergo. ib. 244, 257, 260, 269, 273, 289, 301, 347, 351, 422, 437, 441, 447, 454, 459, 517 sq., 518, 596, 616, 653, 664, 683, 684, 687, 797, 816, 820, 851, II, 46, 60, 149, 175, 205, 243, 267, 310, 364, 396 sq., 433, 451 sq., 480 sq., 488, 514, 534, 545 sq., 572, 615, 633, 635 sq., 664. III, 12, 50, 232, 263, 274, 287 sq., 302, 322, 334 sq., 347, 359, 376, 393, 398, 431, 479, 510, 521, 529, 543, 621, 725, 727. IV, 20, 67, 83, 147, 219, 245, 250, 257, 270, 313 sq., 315 sq., 338, 375, 516, 518, 579, 597, 622, 626, 677, 689, V, 43, 77 sq., 254, 266, 279, 307, 319, 327, 332, 356, 386, 409, 416, 429, 435, 438, 447, 499, 505, 513, 519, 533, 574, 581, VI, 54, 85, 103, 117, 118, 125, 131, 132, 138, 142, 157, 159, 161, 162, 189, 206 sq., 235, 245, 270, 340, 457, 458, 460, 465, 477, 490 sq., 495, 540, 542, 562, 574, 575, 606, 668, 689, 703, 724, VII, 11, 66 sq., 71, 84 sq., 212, 276, 327, 347, 499, 549, 607 sq., VIII, 85, 116, 262, 292, 298, 323, 357, 380, 449 sq. Vergilii exempla exstant Aen. I, 11, 29 sq., 52, 81, 125 sq., 232, 240, 269, 288, 366, 429, 628, II, 31, 305, 403 sq., 441, 448, 463 sq., 601, III, 66, 274, 281, 298, 591, IV, 21, 120, 202, 263, V, 128, 223, 357 sq., 401, 494, 620, 711, 854, VI, 53, 497, 569, 597, VII, 229, 242, 517, 629, 682, 799, 800, 817, VIII, 262, 375, 476, 722, IX, 59, 456, 485, X, 57, 138, 215 sq., 408, 479, 656, XI, 202, 214, 320, 377, 454 sq., 700, XII, 1, 35 sq., 75, 168, 272, 417, 456, 498, 521, 651, 687, 690 sq., 725, 816, 837, 846.

Verba autem secundum modum a a b b ordinata raro apud Valerium invenies, ut I, 461, 505, 752 sq., II, 410, 493 sq., 548, VI, 744, VII, 441, VIII, 75, multo saepius apud Vergilium, ut Aen. I, 51, 652, III, 23, 432, 698, IV, 512, VI, 107, 408 sq., 442, VII, 111, VIII, 446, 715, IX, 257, X, 374, XI, 155, 232, 356, 425, 714, 868, XII, 248 sq., 510, 645, 683.

Sexcenties hunc quoque modum verborum collocandorum usurpat Valerius: a b c b a, de quo nunc breviter dicam. Haec autem affectata vocabulorum symmetria nobis languida

et frigida est, cum tantum absit, ut sermonem exornet, ut eum deformet. Ne ab alieno iudicio pendeas, plurima exempla proferri necesse est. a b c b a, ubi verbum in medio positum est: I, 29 sq.: ipsius ingens instat fama viri. ib. 794 sq.: sacer effera raptet corda pavor. II, 93: alternos aegro cunctantem poplite gressus, similiter Aen. XII, 386: alternos longa nitentem cuspide gressus. Val. VII, 87: infando quae det responsa tyranno. ib. 262: omnes quae detinet insula natos. I, 812 sq., II, 75 sq., 78 sq., 606 sq., 644, 645, III, 108, 118 sq., 159 sq., 361, 535 sq., 609 sq., 673, IV, 77, 248, 748 sq., V, 5, 186, 418 sq., VI, 1, 99, 251, 496, VII, 24, 48 sq., 91 sq., 378, 466, 500, 530, VIII, 23, 61, 318, 462, Aen. I, 716, II, 297, 483, 639, III, 175, 210, 383, 412 sq., 534, 604, V, 38, 46, 113, VI, 195 sq., 550, 894, VII, 414, 595, 718, VIII, 4 sq., 654, IX, 33, 535, X, 152, 245, 887, XI, 285 sq., 326, 516, XII, 450.

a b c b a, ubi pronomen in medio positum est: IV, 746: saevis frater mihi fusus habenis. V, 545, VII, 232. Saepissime Valerius pronomen relativum ab initio enuntiati removet, qua de re iam Schmitzius [1]) disseruit. Cuius rei causam saepe esse eius amorem huius artificiosae verborum collocationis intellexi. Qualia exempla apud Vergilium quoque invenies Aen. V, 119: triplici pubes quam Dardana versu, X, 137: fusos cervix cui lactea crinis, ib. 708: multos Vesulus quem pinifer annos. Coniunctio et relativum in medio posita sunt Aen. II, 379: inprovisum aspris veluti qui sentibus anguem. Simili modo Valerius relativum in medio posuit, si vocabula, quae litteris b b significavi, non adiectivum et substantivum, sed subiectum et praedicatum, vel verbum et obiectum, vel subiectum et obiectum sunt. Pauca exempla proferam. V, 250: sacrata rutilant cui vellera quercu. ib. 608: saxiferae surgat quibus imber habenae. II, 139: tardi reputant quae tempora belli. Vergilii exempla habes Aen. IX, 264: devicta genitor quae cepit Arisba, X, 818: molli mater quam neverat auro.

---

[1]) l. l. p. 20.

Haud raro in Valerii libris coniunctiones in medio positae et ab initio enuntiati satis longe remotae sunt: II, 32: iniectam fesso dum pectore molem. IV, 452: niger intorto ceu turbine nimbus, Aen. II, 516: praecipites atra ceu tempestate columbae. Val. IV, 607: ludo volitans cum turba superbo, ut I, 704, VI, 573, Aen. VIII, 476. XII, 473. — Val. V, 164: imas manus aut Neptunia terras. VIII, 282: magni virgo ne regia Solis. — cfr. I, 181, 433, 446, II, 271, III, 209, 281, 623, VII, 75.

Praepositiones in medio positae sunt: I, 83: praecipiti tumidum per Enipea nimbo. II, 173: Stygias infanda ad foedera taedas. I, 196, II, 516, 592, 608, III, 277, 545, 589, IV, 120, 482, 661, V, 331, 333, VI, 105, 228, 361 sq., 714, VII, 4, 90, 191, 645, VIII, 56, 236, 356, 387, Aen. II, 193, 571, V, 214, 488, VI, 183, 279, 355, 513, 645, 836, VII, 13, 244, 679, 699, X, 36, XII, 666 sq. Praepositio et pronomen in medio posita Val. VI, 678: quibus ignota sese pro gente periclis, II, 449, praepositio et substantivum IV, 82 sq., praepositio et verbum VII, 164 sq., Aen. V, 516.

Adverbia: I, 127: longo moles non pervia ponto. ib. 383: Phoebi fides non vana parentis, ut IV, 100, VII, 3, 236. Alia adverbia ita posita invenies VII, 516: perdomitis quae deinde pericula tauris, II, 113, III, 286, 360, 564, 665, VI, 512, VII, 618, Aen. V, 866, XI, 452. Verbum et adverbium Val. VI, 623: talibus aegra movens nequiquam pectora curis, coniunctio et adverbium Aen. II, 416: adversi rupto ceu quondam turbine venti.

Substantiva: I, 613, V, 308, VI, 730, Aen. V, 245, XII, 347, substantivum et praepositio Val. V, 483: tui toto Pelias sub momine Phoebi, Aen. V, 297: regius egregia Priami de stirpe Diores. — cfr. Val. IV, 132.

Quae ornamenta rhetorica saepius usurpari nos taedet, cum haec quaesita verborum collocatio nimis a sermonis simplicitate discrepet.

Non minus saepe Valerius verba sic ponit: a b a b. Quem ludum oratorium vel poeticum Cicero raro, Livius iam saepius

usurpat; apud Vergilium non pauca huius figurae exempla exstant. Omnes autem in hac re Valerius superat. Habes haec exempla: I, 255: summo decurrens vertice Chiron, ib. 292: miserae clamantia virginis ora. ib. 323: vota aliis facienda diis. ib. 324, 341 sq., 348, 405, 449, 527, 548 sq., 589, 609, 635 sq., 672, 805 sq., 848 sq., II, 24, 42, 72, 97, 244, 264, 323, 447 sq., 455 sq., 499 sq., 555 sq., 620, 593 sq., III, 79 sq., 112, 113 sq., 354 sq., 364 sq., 404 sq., 412 sq., 420 sq., 522, 541, 588, 667, IV, 15, 21, 146 sq., 328 sq., 413, 447, 497 sq., 599, 646, 658, 737, 741 sq., V, 70 sq., 76, 120, 176, 204 sq., 245, 260 sq., 376, 379, 412 sq., 415, 432, 468 sq., 514, 559, 576, 622 sq., VI, 122, 129, 146 sq., 289 sq., 474, 475 sq., 545, 558, 618, 700, 704, VII, 174 sq., 256, 260, 283, 332 sq., 364, 439, 485, 523, 564, 617, VIII, 57, 233, 361 sq., 452, 456 sq., 460 sq., Aen. I, 217, 275, 286, 474, 649, II, 122, 166, 172 sq., 417 sq., 479 sq., 487 sq., 489, 609, 610 sq., III, 22 sq., 548, IV, 497 sq., 511, V, 299, 351, 513 sq., 522 sq., 566 sq., 589, VI, 573, 576, VII, 150, 175, 243 sq., 459, 487, 565, 569, 650, 758, VIII, 121, 441, 537, 542, 551, 695, 711, 720, IX, 142, 262, 298 sq., 372, 455 sq., 458, 481 sq., X, 356, 727 sq., 783 sq., XI, 39, 62 sq., 67, 88, 193, 207, 236 sq., 253, 265, 436, 474 sq., 624, 785, 796, 839, 876 sq., XII, 68 sq., 176, 283 sq., 374 sq., 572, 611, 925.

Saepissime Valerius hoc quoque modo verba collocandi utitur: a b c a b.

Verbum in medio positum invenies: I, 157: validis fixam erigit unguibus agnam. ib. 192: pinguia letifera perfringere colla bipenni. ib. 233: plenum certis interroget aethera pinnis. ib. 300, 301, 385, 455, 630, 789 sq., 814 sq., II, 7, 35 sq., 219, 332 sq., 630 sq., 655, III, 33, 253, 260, 402 sq., 408, 462 sq., 738 sq., IV, 99, 213, 356, 711, V, 79, 381, VI, 33, 120, 349, 376, 644 sq., 698, 702, VII, 33 sq., 55, 536, VIII, 17, 84, 103 sq., 185, 237 sq., 276, 362 sq., Aen. I, 354, III, 181, 184, 280, 398, 635 sq., IV, 290, 397 sq., 623 sq., V, 500, 524, VI, 859, VII, 14, 21, 422, 615, 717, VIII, 684, X, 733, XI, 56 sq., 789, XII, 801, 870.

Verbum et aliud vocabulum ita posita sunt: I, 512 sq.: horrida saevo quae premis arva gelu. VI, 593: debita cognati repetit qui vellera Phrixi. I, 311, IV, 129 sq., V, 184, 221, 237, 398, 470, VI, 302, Aen. I, 314, VII, 700 sq., cfr. ib. IX, 287.

Pronomina: V, 357: cultus primi cui creditus aevi. VII, 51: ratis infandis quos sola rapinis. V, 494, Aen. I, 463, VI, 37.

Coniunctiones: V, 363 sq.: pulchrum longissima quando robur cura. Aen. III, 448: verso tenuis cum cardine ventus. cfr. Val. III, 353.

Praepositiones: I, 141: Atracia subitae de virgine pugnae. ib. 342, 578, 598, II, 11 sq., 73, III, 51, 330, 655, 723, IV, 442, 743, V, 61, 220, 350, 500, VI, 64, 82, 321, 607 sq., VII, 136, 285, 560, Aen. I, 635, II, 626, 727, III, 235, IV, 441, V, 236, 765, VII, 346, 378, VIII, 524, IX, 244, XI, 40, XII, 504. Praepositio et substantivum Val. I, 810, praepositio et pronomen Aen. XI, 45. — Adverbia: II, 564: parva tuis iam gloria factis. III, 380: socius superi quondam ignis Olympi. IV, 464, V, 22, 69, 175 sq., 659, VII, 291, 541, Aen. XII, 593. Duo adverbia Val. II, 445, adverbium et verbum III, 257, adverbium et adiectivum VIII, 14.

Substantiva: III, 20: Dindyma sanguineis famulum bacchata lacertis. I, 786, 817, II, 654, III, 715, IV, 425, 605, Aen. VIII, 270, X, 822, substantivum et adverbium Val. VII, 26.

B. De figuris grammaticis.

Quint. IX, 3, 3: Prius (grammaticum genus) fit isdem generibus quibus vitia: esset enim omne eiusmodi schema vitium, si non peteretur, sed accideret. Verum auctoritate, vetustate, consuetudine plerumque defenditur, saepe etiam ratione quadam. Ideoque, cum sit a simplici rectoque loquendi genere deflexa, virtus est, si habet probabile aliquid, quod sequatur. IX, 3, 27: Convertunt (schemata grammatica) in se auditorem nec languere patiuntur subinde aliqua notabili figura

xcitatum, et habent quandam ex illa vitii similitudine gratiam, it in cibis interim acor ipse iucundus est. Quod continget, si ieque supra modum multae fuerint nec eiusdem generis aut unctae aut frequentes, quia satietatem ut varietas rerum, ita aritas effugit.

a. Figurae, quae mutatione fiunt.

α. De antimeria.

Saepe apud Vergilium et alios poetas orationis partes diversi generis inter se permutantur, et tales permutationes omnino non infrequentes Valerio sunt. Pauca exempla attulisse satis erit. 1. Adiectivum pro adverbio non raro Valerius usurpat, ut I, 1: prima freta pervia, pro: primum. Similiter III, 490, IV, 670, VI, 686, V, 350 sq.: ut prima (Colchis) vidit, pro: ut primum. III, 257 sq.: ecce levi primos iam spargere lumine portus orta dies, pro: primum, demum.

2. Adiectivum pro substantivo est I, 838: mortales pellere curas, i. e. mortalium, ut IV, 201 sq.: mortalia nusquam signa manent, i. e. hominum signa. III, 312: socios lustrate rogos, i. e. sociorum.

3. Nomen proprium loco pronominis saepius positum est, quod multo gravius quam pronomen est. Exempla habes I, 266, ubi »Pelea«, et ib. 604, ubi »Borean« pro »me« dictum est. V, 640 ponitur »Martia templa« pro »mea templa«, ib. 562 »Pallas« pro »ego«.

β. Enallages

exempla, quibus varietas augetur, etiam apud pedestris orationis scriptores non pauca exstant. Valerius autem permutationes tales in orationis partibus, quae sibi respondent, valde amat, ut multo saepius et audacius quam Vergilius, cuius de usu Wagneri editionis tomus quartus conferendus est, hanc figuram adhibeat.

1. Enallage numeri: II, 553 sq.: pars cingit et mirantur. Idem est Aen. II, 31 sq.: pars stupet et mirantur. — Val. III, 97: fert sonitus inmota phalanx irasque retentant. ib. 389 sq.: quisque implicat et pulsant. IV, 438 sq.: novimus ac rebar sic. Loebachius [1]) lectionem traditam defendere conatur, Baehrensius »reputavi« pro »rebar sic« bene scripsit. V, 560 sq.: stetit pubes expertique simul. VIII, 383 sq.: expediant donec Iunonia sese consilia atque aliquem bello ferat anxia finem (i. e. Iuno). — Exempla alius generis habes II, 483 sq.: virgineam damnare animam sortitaque Lethen corpora. VII, 67 sq.: succede meae, fortissime, laudi, et nostros recole, hospes, agros.

2. Enallage temporis frequenter Valerius usus est. Diversa tempora in narrando coniuncta saepius inveniuntur. Praesens et imperfectum sunt II, 110: laeta mari tum signa refert plenasque movebant armentis nuribusque rates. ib. 142 sqq.: utinam non essem aut obruat, quo loco iniuste Thilonem [2]) Valerium incusasse, quod in temporum usu neglegens fuisset, iam Braunius [3]) demonstravit.

Praesens et perfectum coniuncta sunt III, 509: ingemuit Iuno tandemque silentia rumpit. II, 307 sqq., III, 720 sq., IV, 48, 172 sq., 487 sq., VII, 509 sq., VIII, 325, Aen. V, 549, XII, 470. Aliud Valerii exemplum Hauptius [4]) bene coniecit, cui Baehrensius accedit, II, 202: Thraca pavet pariterque toris exhorruit omnis mater. Madvigius [5]) quoque vidit, sub vocabulo »palus«, quod codices praebent, aliud verbum latere nec aptius reperiri putavit quam salit (concutitur). Deletum autem est iure exemplum enallages, quod exstat VIII, 374: abscessit tandem vanaque recedit ab ira, ubi Weichertus Pium secutus »abscedit« proposuit, Loehbachius [6]) melius »absistit«, ne bis »cedit« legeretur. Baehrensii coniectura »adspectu« longius a lectione tradita recedit.

---

[1]) Bemerkungen p. 7. — [2]) prol. p. XXIV. — [3]) l. l. p. 34. — [4]) Hermes tom. VIII p. 180. — [5]) l. l. p. 137. — [6]) Studien p. 16.

In duobus subiectis saepe enallage temporis invenitur, ut III, 441 sq.: ter tacitos egere gradus, ter tristia tangens arma — iacit. Videas quoque VIII, 248.

Praesens et futurum sunt II, 131 sq.: adfore iam luxu turpique cupidine captos fare viros carasque toris inducere Thraessas. Aliud exemplum est ib. 147: iamque aderunt thalamisque tuis Threissa propinquat. Aen. II, 194, VII, 313 sq.

Imperfecti et plusquamperfecti coniunctivus est IV, 364 sq.: qua fraude negaret aut quos inventos tenuisset Iuppiter astus? Aen. VII, 808 sq. Val. I, 339 sq.: primus in aeratis posuissem puppibus arma concussoque ratem gauderem tollere remo, mutatio temporis recte usurpata est, cum »ponere« verbo »gauderem« praecedat. Aen. IV, 343 sq.

Infinitivus praesentis et perfecti saepius apud Valerium invenitur, ut VII, 208 sq.: fas tunc mihi manes dilexisse viri tumuloque has reddere curas. Idem est III, 626 sq., 681 sq.

3. Enallage generis: V, 261 sq.: reddi iubet vellus et mittere. ib. 695: surgitur in somnes seque ad sua limina flectunt, pro: surgunt et flectunt. Aen. III, 60 sq.

4. Enallage modi:

Infinitivus historicus et indicativus saepe a Valerio permutantur. I, 213 sq.: fremere et sedem defendere cuncti hortantur. Alia exempla exstant II, 371 sqq., VII, 625 sq., II, 102 sq., si Baehrensius recte, quod puto, coniecit, sed III, 62 sq.: adstitit et — inde ciere virum, sine causa »hinc ciet aere virum« scripsit. Aliud quoque eius exemplum, V, 649 sqq., non probo: non tulit haec animis, quin longa silentia Pallas rumpere et — ait. »Rumperet« in codicibus est. »Sed enim, inquit, »quin — rumperet« non potest pendere a »tulit«, quippe quod suum habeat obiectum »haec«; itaque »quin« particulae adversativae vice fungitur, ut saepius apud Valerium.« Baehrensium vehementer errasse Schenkelius[1]) demonstravit cum diceret: »Darnach müsste auch z. B. Cic. Brut. LXXXVIII, 302: nullum enim

[1]) Zeitschrift für die österreichischen Gymnasien. l. l. p. 642.

patiebatur esse diem, quin aut in foro diceret aut meditaretur extra forum falsch sein.

I, 278—282 indicativus et coniunctivus perfecti permutantur. VII, 119 sq.: quaerit, ut Aeaeis hospes consederit oris Phrixus, ut aligeri Circen rapuere dracones. Sed non iniuria hoc loco Loehbachius[1]) mutatione lenissima »consedit in oris« scripsit. — IV, 240 sq.: haut tibi pulchrae manserit hoc ultra frontis decus orave matri nota feres.

Infinitivum et participium eodem cum verbo coniuncta invenies I, 125 sq., II, 82 sq., III, 512 sq., VI, 734 sqq., I, 265 sq.: placito si currere fluctu Pelea vultis ventosque optare ferentes, quae verba Ph. Wagnerus[2]) sic explicat: si vultis Pelea optare placido fluctu currere et si vultis eum optare ventos ferentes. Addit: Es kommt die doppelte Construction desselben Verbums mit dem Infinitiv und mit dem Participium bei den Dichtern häufig vor, am häufigsten gerade bei Valerius. Sed hanc Wagneri constructionem nimis quaesitam esse Schenkelius[3]) iam demonstravit.

II, 509 sqq. infinitivus, participium, adiectivum, coniunctio »ut« a verbo stupendi pendent. Infinitivus et coniunctio »ut« coniuncta sunt VI, 16 sq.: edocet, adfari Minyas fraudemque tyranni ut moneant. Similiter dictum est I, 478 sqq.: sors tibi, nequa parte trahat tacitum puppis mare fissaque conducere vulnera.

5. Enallage casus, si Baehrensius recte, ut mihi videtur, coniecit, est I, 230: plenus pacis (pro »fatis«, quod codices praebent), Phoeboque quieto. Duo vocabula fere idem quidem notant, sed tantum abesse ut tales elocutiones Valerius respuat, ut singulari studio quaerat, iam videbimus. Similiter ablativus sine praepositione positus et ablativus cum praepositione positus coniuncta sunt I, 385 sq.: (cui) palla imos ferit alba pedes vittataque fronte cassis et in summo laurus Peneia cono. »Fronte«

---

[1]) Stud. p. 13. — [2]) Jahn. ann. l. l. p. 385. — [3]) Studien p. 364.

pro »frontem«, quod vocabulum in codicibus est, Barthius[1]) scripsit, et iure optimo Schenkelius et Baehrensius eum secuti sunt. Neque cum Burmanno facio dicente: »cur non aeque vittae ex casside dependentes frontem feriant, ac palla pedes?« Quod certe non poetice dictum esset. Neque bene »cassis vittata frontem« Graecismus esse potest, quod Burmannus putat. Ceterum in aperto est, ad substantiva »cassis« et »laurus« subintellegendum esse »est ei«, ut talia persaepe in Valerii libris inveniuntur.

6. Aliae species figurae enallages:

Accusativum et infinitivum ab uno eodemque verbo pendentes saepe reperies. Videas V, 580: ceu pugnam paret et positas confundere mensas. Alia exempla sunt I, 499, VI, 501, 731 sq. — Accusativa nominis et participii coniuncta habes III, 506 sq., genitivum et infinitivum V, 189 sq.: inde maris pecudique timens imponere palmas, accusativum et enuntiatum relativum II, 66 sqq., IV, 599 sq., accusativum et enuntiatum finale I, 509. Praepositio et enuntiatum finale permutantur I, 475 sq.: non iam operum in partem, monitus sed tradat ut acres magnorumque viros qui laudibus urat avorum.

Hoc loco praeterea »ut« et »qui« orationis variandae causa posita sunt. Similiter III, 17 sq. »cur« et »quid« variationem efficiunt.

Adiectivum et substantivum ut apud rerum scriptores et poetas alios, ita apud Valerium saepe inter se permutantur. Exempla habes I, 96: Argolicas Macetumque per urbes. III, 306 sq.: Phasidis arva et Scythicas opes. VI, 323 sq.: faciles hominumque manus.

Adiectivum et adverbium coniuncta sunt I, 836: rara et sponte patet. ib. 839: (cui) longe metus adque ignota cupido. cfr. IV, 212: (qui) dexter et in laevum Pontus iacet.

Adiectivum et ablativus sunt II, 56: puraque nec gravido surrexit Cynthia cornu. ib. 150: picta manus ustoque placet sed barbara mento, pro: pictis manibus ustoque mento, vel:

---

[1]) ad Stat. Theb. III, 566.

picta manus ustaque mentum. ib. 212 sq.: taboque sinus perfusa recenti arrectaque coma. IV, 426: dira deum summoque lues urgebat in aevo. Similiter participium et ablativus coniuncta sunt VI, 253: pone trahit fugiens et cursibus exuit hastam, pro: currens.

Saepe Valerius orationis variandae causa uni duorum substantivorum novum substantivum addit. Apud Vergilium quoque nonnulla huius generis exempla exstant, ut Aen. I, 183: (videat) aut Capyn aut celsis in puppibus arma Caici, ib. 221 sq.: nunc Amyci casum gemit et crudelia secum fata Lyci fortemque Gyan fortemque Cloanthum. XII, 110: tum socios maestique metum solatur Iuli. Valerius hoc dicendi genus adhibet II, 95 sq.: Aetne aut Lipares domus. ib. 67: (memorat) Pleiones Hyadumque locos. ib. 69 sq.: munere Cereris et Baccho, pro: munere Cereris et Bacchi, vel: Cerere et Baccho. ib. 426 sq.: Orphea tristis cervice tuaque, Aeacide, et gemino coniunx a Castore pendet, pro: gemini Castoris. ib. 231 sq.: Bessi nec Geticae manus. ib. 580 sq.: tumulus praelabitur Ili Dardaniusque pater, pro: Dardanii patris. V, 344 sq.: hinc gressibus haerens Pallados hinc carae Proserpina iuncta Dianae. ib. 572 sq.: monstrantem natos Iovis oraque Aeacidum. VI, 550 sq.: in Sueten magnique in fata Ceramni emicuit. ib. 691 sq.: ut Colchos procul adque Aeetia Parthis foedera iungeret. I, 201: repperit et Colchos in me luctumque meorum, pro: in me meosque, vel: in meum ipsius luctum et meorum.

Ad Valerii magnum varietatis amorem cognoscendum videas eos quoque locos, qui exstant II, 490 sqq.: neque enim tam lata videbam pectora, Neptunus muros cum iungeret astris, nec tales umeros pharetramque gerebat Apollo, pro: neque enim tam lata pectora Neptuni nec tales umeros pharetramque Apollinis videbam, cum muros astris iungerent. Neptunus enim simul cum Apolline, non solus moenia struxit. III, 452 sqq.: vos ego nec ululare velim nec luctifer ingruat annus, pro: vos neve ululetis neve luctifer ingruat annus, vel: vos nec ululare velim nec ingruere annum. ib. 630 sq.: nec minus in sese

generis dextrasque potentes esse ferunt, pro: genus dextrasque, vel: generis dextraeque potentis, quod Heinsius maluit. ib. 57 sqq.: at tibi Pollux stirpe pares Castorque manent, at cetera divum progenies, nec parva mihi fiducia gentis, pro: at ego tibi maneo. Sed haec hactenus, cum Valerii rationem dicendi hac in re satis demonstrasse mihi videar.

γ. De hypallage epithetorum.

Qua figura ut Cicero, Livius aliique scriptores non raro utuntur, ita saepissime poetarum more Valerius epitheta transfert, quibus in permutationibus sexcenties tropus prosopopoeiae existit. I, 401: intendens dubium pater arcum. »Dubium« poetice dictum est, cum poeta rei inanimatae sensum timoris tribuat. Vide IV, 527: dubiis elanguit alis. ib. 571: pater pavidas detorquet habenas, pro: pavidus. Idem est V, 426: pavidas iacit illa pharetras, et IV, 534: non pavidae miratur gaudia mensae. Similiter dictum est ib. 759: mirantia lumina volvit. Cum ipse meretur, lumina mirantia nominantur. ib. 302 sq.: agit inconsulta per auras brachia. Brachia inconsulta vocantur, quod ipse inconsultus est. III, 562: avidas iniecta manus, pro: avida. Valerius manibus tribuit, quod hominis est, qui manus inicit. VII, 296: trepidas obruit aures. Quae cum ita sint, Baehrensius I, 183: gressus avidos ad litora vertit, non recte pro »avidos« »rapidos« scripsit. I, 488 sq.: ardenti Aesonides retinacula ferro abscidit, pro: ardens. Similiter Aen. XI, 654: spicula converso fugientia derigit arcu, i. e. fugiens. Val. II, 545 sq.: superabat ovante litora tuta gradu. Gradus ovans dicitur, cum is, qui graditur, ovet. I, 802 sq.: ovantia contra ora manusque feram. III, 239 sq.: certo tendens stridore per umbram Aesonii venit hasta ducis. V, 141: pervigil auditur Chalybum labor, pro: pervigilum. Simili modo dictum est II, 240 sq.: clamor precantum barbarus, i. e. clamor precantium barbararum feminarum. III, 4: caris socium digressibus haerent, pro: carorum. ib. 347: ter armatos Minyis referentibus orbes. Orbes armati nominantur, quod Minyae armati sunt. Similiter

Aen. IX, 163: purpurei cristis iuvenes, i. e. purpureis cristis induti iuvenes. Val. III, 441: tacitos egere gradus. ib. 404: Oceani praeceps fragor, pro: praecipitis. ib. 660 sq.: quid deside terra haeremus, i. e. desides. cfr. V, 148 sq.: deside mitra ligat virum. Mitra deses nominatur, quod vir deses est, sed fortasse, quod mitram feminae solae et effeminati homines habere solebant. IV, 350 sq.: pelagusque emensa iuvencae exilia, pro: emensae. V, 23: natorum flet parva manus, pro: parvorum. ib. 609: gens picta pharetris, pro: pictis pharetris. VI, 229: densā spargens hastilia dextra, pro: densă hastilia spargens dextra. Dextram poeta densam dicit, cum hastilia densa iaciat. cfr. Aen. XI, 650: et nunc lenta manu spargens hastilia denset. Ph. Wagnerus [1]) laudat Aen. IX, 534: Troes densi tela intorquere, et addit: Waren die equites nun densi, so konnte man auch sagen densā dextra spargebant hastilia. Schenkelius [2]) »densa« non ablativum, sed accusativum esse dicit et syllabam »sa« productam esse, quod initium verbi »spargens« duas consonantes habeat. VI, 246: laevum per luminis orbem, pro: per laevi luminis orbem. ib. 455 sq.: Veneris recentia sertis tecta petit. Tecta recentibus sertis ornata erant. ib. 694: subiti Mavortis amor. VII, 419: iustas da vocibus aures, pro: iustis. Exempla ut II, 174 sq.: has inter medias flet Venus, pro: media inter has, et VII, 103: medios inter parentes, notissima sunt. Aliud exemplum I, 793: meritis regis succedite tectis, Heinsius, Marklandius, quibus Loehbachius et Baehrensius accedunt, mutaverunt legentes »meriti«, sed sine causa id fecerunt, cum »meritis« magis poeticum sit. Loehbachius [3]) propter sermonis usum Valerii »meriti« legi vult et exempla huius usus nonnulla affert. Sed ex multis locis a me modo allatis apparet, poetam hypallages quoque figuram amare. Quod ad »kakophoniam« attinet, quam in verbis »meritis regis« inesse Loehbachius recte vidit, hoc genus apud Valerium omnino

---

[1]) Iahn. ann. l. l. p. 386. — [2]) Studien l. l. p. 293. — [3]) Studien p. 6.

non rarum est. I, 848 sq. quatuor vocabula in a desinentia inveniuntur: porta quanta sinistra Poena. Videas sis quoque VIII, 101: (nulla videbis) vellera, nulla tua fulgentia dona sub umbra. I, 389: et lenis Elis equis, ubi Baehrensius scripsit: felixque Elis equis. V, 511: victum mihi vecta. ib. 72 Baehrensius scripsit »miserat dimiserat«, Loehbachius [1]) iam melius »diras dimiserat«.

b. Figurae, quae adiectione fiunt.

α. De abundantia vel pleonasmo.

Cum nonnulli rhetores, ut Trypho, Gregorius Corinthius, Georgius Choeroboscus, pleonasmum et ellipsin tropos esse existiment, tamen multo melius, ut Volkmannus [2]) quoque iudicat, figurae grammaticae habentur. Pleonasmum Quintilianus IX, 3, 46 ita definit: *πλεονασμός* est abundans super necessitatem oratio. Verum id, cum supervacua oneratur adiectione, vitium est, cum auget aut manifestat sententiam, virtus. Tryph. (Walz. l. l. p. 744): *πλεονασμός ἐστι λέξις ἢ καθάπαξ ἢ μέρεσι τισὶ πλεονάζουσα.*

Valerius quamquam id agit, ut quam brevissime sententias exprimat, tamen, ut similes poetae, satis plenus atque copiosus est mutationemque verborum saepe adhibet, ut multi loci copia verborum idem prope significantium laborent. Praecipue in comparationibus et in descriptionibus variat et luxuriat, quod saepius uno loco pluribus similitudinibus utitur aut eandem similitudinem nimis persequitur. Sed ad rem ipsam transeamus.

Saepe bis dicit Valerius, quae sententia quidem fere eadem sint, sed ita dicit, ut posteriore enuntiato prius clarum et lucidum fiat. Videas sodes I, 341 sq.: patriae valuere preces auditaque magnis vota deis. ib. 660 sq.: pateram quam munere gaudens liquerat hospitio pharetrasque rependerat auro. »Pharetras« vocabulo »munere« et »auro« voci »pateram«

---

[1]) Studien p. 10. — [2]) l. l. p. 393.

respondet. ib. 742 sq.: iam magis adque magis variis stupet Aea deorum prodigiis quatiuntque truces oracula Colchos. Quae variatio satis placet. Pedestris orationis scriptor fortasse dixerit: varia prodigia oraculaque quatiunt Colchos, vel: variis prodigiis oraculisque stupet Aea. II, 398 sq.: thalamos excussaque vincla quod ausae induere atque iterum tales admittere curas. Similiter Aen. IV, 550 sq.: non licuit thalami expertem sine crimine vitam degere, more ferae, talis nec tangere curas. Val. II, 355: iam non dura toris Veneri nec iniqua reversae. III, 56 sq.: pavidum praesepibus aufert cum pecus et profugi sternunt dumeta iuvenci, pro: cum pavidum praesepibus ablatum pecus dumeta sternit. IV, 523: agnoscunt monitus, iussaeque recedunt. VII, 182 sq.: nec te nunc Hecates subeat metus, aut mea forte impediat ne coepta time. ib. 441 sq.: occideras, nempe hanc animam (te) fax saeva manebat funeris. Quae ad verba Lemairius non male adnotat: Non inconcinna est haec repetitio: huic enim cogitationi libenter immoratur Medea, ut intellegat Iason, quantum suae servatrici debeat. VIII, 95 sqq.: non te talem videbam sacra ferens epulasque tibi, nec talis hianti mella dabam ac nostris nutribam fida venenis. ib. 155 sq.: non hoc Pelias evadere furto te iubet aut ullas Colchis abducere natas. ib. 341: an virtus praelata viri est et fortior ille. Alia exempla videas II, 325, 641 sq., III, 241 sq., 389 sq., 662 sq., IV, 206 sq., V, 259 sq., 325 sq., VII, 76 sq., 172 sq., VIII, 265 sq., 417 sq. Denique conferas similes Vergilii locos, qui exstant Aen. II, 53: insonuere cavae gemitumque dedere cavernae. V, 578 sq.: signum dedit insonuitque flagello. VI, 102: ut primum cessit furor et rabida ora quierunt. VII, 96 sq.: ne pete conubiis natam sociare Latinis, o mea progenies, thalamis neu crede paratis.

Qui abundantiae amor saepissime poetam eo adducit, ut eodem enuntiato bis vel etiam ter prolato loci non pauci vitio tautologiae plus minusve laborent. Sed aliquoties mutata orationis forma vitium excusat. Quo melius clariusque Valerii rationem cognoscas, locos quosdam contemplemur. II, 559 sq.: si vera

parentem fama Iovem summique tibi genus esse Tonantis. Similiter V, 382: sin domus in terris adque hinc tibi gentis origo. III, 378 sqq.: si mortalia membra sortitusque breves et parvi tempora fati perpetimur, i. e. si vita nostra exigua est. ib. 597: responsant silvae et vaga certat imago. IV, 124 sq.: nec tibi nunc — det fiducia nostri, nate, animos opibusque ultra ne crede paternis. ib. 333 sq.: illius excelsum ramis caput oraque Castor implicat et viridi conectit tempora lauro, quod est: illius tempora laureis ramis ornat. cfr. VI, 296 sq.: populeus cui frontis honor contectaque glauco tempora nectuntur ramo. IV, 661 sqq.: sic ubi multifidus ruptus e nubibus horror effugit et tenebras nimbosque intermicat ignis terrifici ruunt tonitrus elisaque noctem lux dirimit. Schenkelius [1]) versum 662 uncis inclusit, cum non solum »ruunt« et »effugit«, quae verba aequo modo cum vocabulo »nubibus« coniungenda essent, sed etiam »elisaque noctem lux dirimit« et »tenebras nimbosque intermicat ignis« idem valerent. Sed mea sententia Baehrensius recte eum secutus non est, cum Valerius talia dicta amet, et praesertim cum hoc loco abundantia magis quam aliis locis placeat, quoniam terribilia facta vivide ante nostros oculos ponuntur. V, 688: quod tamen adgressae scelus aut quo crimine sontes. VI, 4 sq.: sternere Minyas Graiamque absumere pubem. ib. 18 sq.: se primum Haemoniis hortatum ea vellera terris reddere et exuvias pecudis dimittere sacrae. ib. 439 sq.: sola animo Medea subit, mens omnis in una virgine. ib. 597: iam vela dabit, iam litora nostra relinquet. VII, 274 sq., tot animas auxilio iuvet atque haec nomina servet. ib. 296 sq.: nec quo ferre fugam nec quo se vertere posset, prensa videt. cfr. Aen. XII, 917: nec quo se eripiat, nec qua vi tendat in hostem. Alii Valerii similes loci sunt II, 19 sq., III, 247 sq., 381 sq., 386 sq., IV, 55, 479 sqq., 572 sq., V, 57 sq., 300 sq., 302 sq., VI, 93 sq., VII, 361 sqq., VIII, 185 sq., 192 sq.

---

[1]) Studien p. 288: »Eine ältere Fassung, welche der Dichter später verwarf«.

Idem aliquoties et affirmando et negando Valerius dicit. Exempla habes V, 21: dicta dabant ventis nec debita fata movebant. VI, 51 sq.: (Iuppiter) semifero captus corpore, nec nymphae geminos exhorruit angues. ib. 463: mens mihi non eadem Iovis atque aversa voluntas. cfr. ib. 241 sq. VII, 18 sq.: mediis qui se dare fluctibus ausi nec tantas timuere vias. VIII, 195 sq.: ignarus fixas iam numine rupes stare neque adversis ultra concurrere saxis. V, 126 sq.: hinc magis alta Haemonidae petere et monitus non temnere Phinei. Similis locus invenitur Aen. VI, 620: discite iustitiam moniti et non temnere divos. Denique conferas ib. III, 447: illa manent immota locis neque ab ordine cedunt, VI, 722: dicam equidem nec te suspensum, nate, tenebo. Val. I, 799 sq.

Inprimis Valerius synonyma coniungere amat, quo usu verbositas et ubertas eius optime intellegitur. C. F. W. Müllerus[1]) synonyma ita definit: Synonyma haben ein gemeinschaftliches Genus, von dem sie jedes in seiner Art bestimmt variirte Modificationen sind, ohne, umgekehrt wie beim Hendiadyoin, dieselbe Erscheinungsform ihres Genus auszudrücken, ja eigentlich, da strenge Synonyma nie gleiche Bedeutung haben, ausdrücken zu können. — Es ist dies also ein Aneinanderreihen ähnlicher, nicht gleicher Begriffe, wodurch nichts bezweckt wird, als die Vortellung, die jeder einzelne dieser Ausdrücke hervorbringen würde, zu verstärken.

Adiectivorum exempla haec sunt: I, 565: durum iter et grave. V, 40: magna numerosaque pubes. ib. 508: non aliena peto terrisve indebita nostris. VI, 695: inpubemque gerens sterilemque iuventam. I, 485: ovans laetusque. III, 394: resides et iam nil amplius ausi. ib. 547: tardusque fugae longumque resistens. Videas sis aptam abundantiam, quae est V, 638 sq.: sola polo tacitis inopina tenebris labere.

---

[1]) Philolog. tom. VII p. 305.

Verborum: IV, 537: talibus appellat supplexque ita fatur. I, 586: quid struat Alcides tantaque quid apparet ira. ib. 665 sq.: nubem pepulit movitque iugis. VII, 175: mota loco labefactaque. ib. 614: cessit et ad socios paulum se rettulit. cfr. Aen. IV, 388 sq.: auras aegra fugit seque ex oculis avertit et aufert. Val. V, 493: speratque cupitque. VI, 418: implicitos et revinctos. VII, 143: turbat agitque. ib. 298: rupta condi tellure premique. ib. 492: recipe ingratos adque exue cantus. cfr. I, 566 sq.: orbe peracto Liber et expertus terras remeavit Apollo. Denique affero Aen. II, 169 sq.: ex illo fluere ac retro sublapsa referri spes, VI, 690: sic equidem ducebam animo rebarque futurum.

Substantivorum: I, 76: animosque mentesque peruris. IV, 273 sq.: irae ardorque. I, 722 sq.: furiis iraque minaci terribilis. Similiter Aen. XII, 946 sq.: furiis accensus et ira terribilis. ib. II, 316: furor iraque. Val. VII, 160 sq.: conversaque in iram et furias. VIII, 2: furiaeque minaeque. ib. 242 sq.: metus aestusque incendiaque mentis. III, 506: insidiae astusque. cfr. Aen. II, 195: insidiis et arte. Val. V, 222: doli et astus. Aen. II, 152: dolis instructus et arte Pelasga. Val. VI, 531: fraude et furtis. ib. 660: metus et curae. VII, 458: cum gemitu et multo fletu. Aen. IV, 667: lamentis gemituque et femineo ululatu. Val. VIII, 453 sq.: querellis questuque. VI, 580: simul acres huc oculos sensusque refert animumque faventem. cfr. Aen. VII, 216: consilio animisque volentibus. Val. VII, 652: in pacem dextramque reverti. VIII, 42: munus et meritum. V, 321: preces et dicta.

V, 417 sq.: cunabula ortusque. VI, 337: progenies natique. cfr. Aen. V, 621: cui genus et quondam nomen natique fuissent. ib. VII, 50 sq.: filius huic fato divom prolesque virilis nulla fuit. Val. VI, 594: nec nunc laude prior generis nec sanguine quisquam.

IV, 752: bello et armis. Idem est Aen. I, 545, IV, 615, VII, 235. Val. V, 129 sq.: pugnas et arma. ib. 532: belli pugnaeque cura. Aen. II, 718: bello et caede. ib. XI, 218:

armis et ferro. Quae dicta cum Valerio usitata sint, non recte Baehrensius I, 806: non Marte nec armis, pro »armis« »annis« scripsit, praesertim cum vocabulo »annis« hic non sit locus, de quo verbo paulo ante 799 sq. dictum est, et senex iratus et incensus multa verba repetat: 803 sqq.: si quod inausum arcanumque nefas et adhuc incognita leti sors superest, date fallaci pudibunda senectae exitia indecoresque obitus. Paulo aliter Loehbachius[1]) verba explicat, qui dicit: »Die Worte non Marte nec armis stehen als Hendiadys für non Martis armis, d. h. in der Schlacht. Sie enthalten daher keine Tautologie, wie Baehrens meint, sondern bieten vielmehr einen ganz passenden Gegensatz zu dem Tode durch das Schwert des Iason.« — Val. III, 126: manus aciesque Pelasgum. ib. 161 sq.: nec pharetram aut arcus exercet. IV, 749: in sanie taboque. Idem est Aen. VIII, 487. Val. VI, 560: animam lucemque rependit. VII, 320: opem viresque dare. Vergilii exempla huius generis invenies Aen. X, 423: arma exuviasque. XI, 782: praedae et spoliorum amore. ib. 790 sq.: non exuvias pulsaeve tropaeum virginis aut spolia ulla peto. V, 680: flamma atque incendia.

Val. I, 595: aditus et claustra refringit. ib. 602: vinclis et carcere clausus. Similiter Aen. I, 54: vinclis et carcere frenat. Val. III, 225: vincla Iovis fractoque trahens adamante catenas. cfr. Aen. V, 510: nodos et vincula linea rupit. Val. VII, 626: galeae nexus et vincula.

II, 527: scopuli et saxa. Aen. III, 559: hos scopulos, haec saxa. Val. II, 542: in scopulos crudique cacumina saxi. III, 96: saxa et tortae pondera fundae. IV, 564: saxa cautesque, ut ib. 659 sq.

I, 847: has in sedes aeternaque moenia, i. e. in has sedes easque aeternas. Aen. VI, 638 sq.: devenere locos laetos et amoena virecta fortunatorum nemorum sedesque beatas. ib. XI, 112: locum sedemque. Val. IV, 26: hoc nemus, haec

---

[1]) Bemerkungen p. 5.

sedes, ut Baehrensius non male coniecit. II, 335 sq.: haec antra et domos. V, 8: humus sedesque. Aen. VII, 52: domum et sedes. Val. I, 489 sq.: saltus et lustra. Aen. IV, 72: silvas saltusque. Val. II, 616: has etiam terras consertaque gentibus arva. V, 341 sq.: fluvios ripamque petebat Phasidis. VIII, 188: ora petamus et undam. Aen. VI, 298: has aquas et flumina servat. Val. IV, 613: per litoris oram. Aen. III, 75: oras et litora circum. Val. II, 170: tecta thalamosque. VI, 455 sq.: thalamos et tecta.

II, 220: invadunt artus et corpora. »Artus« Meynckio [1]) debetur. Aen. VII, 458: ossaque et artus. Val. II, 268: sinus hederisque ligat famularibus artus. III, 556 sq.: artus et concita pectora sudor diluerat. VI, 480 sq.: pavor artus protinus adque ingens Aeetida perculit horror. IV, 244 sq.: ingentes umeros spatiosaque pectoris ossa protulit horrendosque toris informibus artus. Aen. V, 422: et magnos membrorum artus, magna ossa lacertosque. Val. VIII, 60: oculos et lumina torva. Iam Meynckius [2]) dixit, ne significatione quidem vel dicendi colore quicquam inter oculos et lumina interesse. Vergilii similes loci sunt Aen. II, 531: ante oculos evasit et ora parentum, IX, 251: voltum lacrimis atque ora rigabat. Idem est X, 821. XI, 39: caput et ora. XI, 887 et XII, 656 sq.: oculos et ora. X, 699: occupat os faciemque. VII, 94 sq.: tergo et velleribus.

Val. IV, 106 sq.: pabula dira et miseras dapes. ib. 339: liba dapesque. III, 346: decus regnique insigne. ib. 657: tolerare moras et inania tempora. Aen. IV, 433: tempus inane peto, requiem spatiumque furori. ib. V, 458: nec mora nec requies. Val. V, 377: dux dominaque. VIII, 322 sq.: tempestatumque refringit ventorumque domos.

Ut sententiae vis magis augeatur, idem duobus substantivis Valerius exprimit, quae non synonyma quidem, sed re et vi sola sibi similia sint, qua re iucunda variatio efficitur. Exempla

---

[1]) Mus. Rhen. l. l. p. 363. — [2]) Quaest. Val. p. 37.

digna quae afferantur, sunt III, 495: thalamis et virgine pacta. cfr. Aen. II, 116: sanguine et virgine caesa. Val. IV, 164: Hesionam et Phrygiae peteret cum gaudia nuptae. Similes Vergilii loci exstant Aen. III, 327 sq.: secutus Ledaeam Hermionen Lacedaemoniosque hymenaeos. XII, 42: natam et conubia nostra petentem. VII, 358: multa super natae lacrimans Phrygiisque hymenaeis. I, 651: Pergama cum peteret inconcessosque hymenaeos. VI, 623: hic thalamum invasit natae vetitosque hymenaeos. VII, 555: talia coniugia et talis celebrent hymenaeos. ib. 253: quantum in conubio natae thalamoque moratur. Val. VIII, 221 sq.: ac primum socios ausus sua pacta docere promissamque fidem thalami foedusque iugale. ib. 300: coniugio atque iterum sponsae flammatus amore. ib. 392 sq.: thalamis et coniugiis. I, 37: ira maris vastique placent discrimina ponti. ib. 79 sq.: tandem animi incertum confusaque pectora firmat religio. ib. 163: amplexus fraternaque pectora iungens. II, 4 sq.: in Pelian et adhuc obstantia regis fata ruat. III, 422 sq.: hic sale purpureo vivaque nitentia lympha membra novat, i. e. maris aqua. ib 428 sq.: utque metum numenque loco sacramque quietem addidit, i. e. ut Wagneri verbis utar, locum ita adornavit, ut sacrum quendam horrorem reverentiamque in animis posset excitare. IV, 231: praemia sed manes reclusaque ianua leti. VI, 454: quid si caecus amor saevusque accesserit ignis. VII, 252 sq.: pestemque latentem ossibus adque imi monstrabat pectoris ignem. VI, 515: quis tales obitus dederit, quis talia facta. VIII, 100 sq.: iam nulla videbis vellera, nulla tua fulgentia dona sub umbra. II, 552 sq.: iam maestus equos, iam debita posci dona gemit. ib. 585 sq.: Phrixea subibant aequora et angustas quondam sine nomine fauces. IV, 58 sq.: iamque iter ad Teucros adque hospita moenia Troiae flexerat. ib. 78: Phrygas Alcides et Troiae differat arma. VIII, 328: intra Minyas Argoaque vela. ib. 378: Minyae Pagasaeaque puppis. VI, 468: Colchida et invisi genus omne excindere Phoebi. I, 716 sq.: non Scythicas ferus ille domos nec ad ostia Ponti tendit iter. II, 301 sq.: Taurorumque locos delubraque

era Dianae advenit. Denique Vergilii exempla conferas, quae st Aen. VI, 64 sq.: quibus obstitit Ilium et ingens gloria rdaniae. VIII, 38: expectate solo Laurenti arvisque Latinis. VI, 120: Thraeicia fretus cithara fidibusque canoris.

Saepe duobus substantivis eadem res exprimitur, ubi prius vocabulum posteriore lucidum fit et explicatur. Exempla exstant Valerii VI, 53 sq.: insigne Iovis caelataque gestat tegmina, i. e. scuta. Similiter II, 418: tunc ensem notumque ferens insigne Thoantis. VI, 470 sq.: dedit acre decus fecundaque monstris cingula. I, 759 sq.: ferrumne capessat inbelle atque aevi gestamina primi, i. e. ensem, quem olim iuvenis gestaverat. VI, 465 sq.: da, precor, artificis blanda aspiramina formae ornatusque tuos. Similes loci Vergilii inveniuntur Aen. VII, 657 sq.: clipeoque insigne paternum centum angues cinctamque gerit serpentibus hydram. X, 496 sq.: rapiens inmania pondera baltei inpressumque nefas. Val. I, 85 sq.: te tonitru nutuque reposci coniugis. ib. 723 sq.: sunt hic etiam tua vulnera, praedo, sunt lacrimae carusque parens, quo loco sine causa Baehrensius pro »carusque parens« »casusque pares« scripsit. II, 409: promit chlamydem textosque labores. Non duae res significantur, sed una, chlamys acu picta. IV, 550 sq.: ceu numquam poenis nullaque gravatum peste. II, 368 sq.: longus coeptis et fluctibus arcet dum metus. I, 200 sq.: ille aspera iussa repperit et Colchos, i. e. iussa contra Colchos pugnandi. III, 710: fida ministeria et duras obit horrida pugnas. IV, 627: rumpitque moras tempusque timendi. VI, 263: dolis viscoque super correpta tenaci. VII, 516 sq.: quae pericula et quis in Aeolio maneat te vellere custos. Pericula custos solus molitur. Quod dicendi genus cum Valerio usitatum sit, iniuria Baehrensius IV, 23: frondibus in croceis et iniquae munere Nymphae, omissa particula »et« coniecit »inimicae«, cuius verba: quid »et« hic sibi velit mente non assequor, cum illud »munere« per appositionem ad »frondibus in croceis« accedere debeat, eum non commovent, qui Valerii hac in re proprietatem dicendi cognoverit.

Non raro in Valerii libris singulae orationis partes abundant. Adverbium abundat II, 604 sq.: celeri extemplo manu. IV, 283: nova vis iterum, nova robora surgunt. ib. 210: adversaque tollere contra brachia. ib. 745: tanto procul orbe remoti. VI, 241 sq.: non isdem artibus aeque concurrunt. — III, 268 sq.: dare versa retrorsus terga. ib. 387: iterum remeare. VII, 582 sq.: recedunt retro.

Adiectivum abesse potest III, 341 sq.: (vestes) quas rapuit festina Hypsipyle. V, 248: dolos molitur opertos. VI, 711: fertiles ubere terrae. VIII, 261: subita praeceps cum classe. ib. 354 sq.: haut illi cantus et futtile murmur proderit. Aen. I, 392: ni frustra augurium vani docuere parentes. ib. II, 685: nos pavidi trepidare metu. cfr. Val. I, 627: hoc erat inlicitas temerare rudentibus undas, quo de loco Braunius[1]) dicit: »In verbis »inlicitas temerare undas« pleonasmus inest, cum locum inlicitum, a deis negatum, adire iam sit idem ac deum violare, temerare. Undas illas inlicitas esse hominibus atque illud ex violenti maris natura probari eos iudicare consentaneum est, ita ut ipsum »intrare mare« neque vero »contaminare« periculosum sit atque religiosum.« Sed »intrare mare sacrum vetitumque« pulchre a poeta contaminatio dicitur, et mutatione hoc loco omnino opus non est. Recte enim dicit Burmannus: »Quicumque audacia et temeritate insigni novum quid tentat, violare et temerare res quasi sacras dicitur.« De exemplis similibus videas quaeso Burmannum.[2]) Verbum autem »temptare«, quod pro »temerare« vera lectio Braunio esse videtur, multo minus pulchrum et poeticum est.

Participium abundat III, 39 sq.: at qui illum non ante sopor luctamine tanto lenit agens divum imperiis, quem locum sine causa Reussius[3]) mutavit, qui, cum universa loci ratio ab elocutione, ut quae induceretur verbis »non ante,« abhorrere videretur, et cum enuntiatio »agens divum imperiis« non satis aliis testimoniis fulciretur, hunc in modum emendare posse

[1]) l. l. p. 13. — [2]) ed. p. 113. — [3]) l. l. p. 28.

...m sibi visus est: ast illum frangente (vel superante) s. l. t. ...is adit. »Agens« autem hoc loco abundat ut IV, 111, Aen. ...191, IV, 71. Aliud Valerii exemplum VII, 151 Baehrensius ...on male in »avens« mutavit. »Agens« his locis non idem ...se quod »handelnd,« sed quod »urguens« Schenkelius[1]) dixit. VI, 534: attonitos defixerat hostes. III, 127 sq.: requirens petebat. ib. 322: occidit absumpta sagitta. cfr. Aen. IV, 17: ...amor deceptam morte fefellit.

Substantiva, praesertim »manus,« saepe posita sunt, ubi, si abessent, nihil desideraremus. Videas exempla II, 527: proicit arma manu. ib. 599 sq.: pia sollemnia ferte manu. ib. 653 sq.: pars epulas manibus — gestant, ut ib. 211 sq.: singultantia gestans ora manu. III, 122 sq.: bella conserere manu. ib. 145: prensumque manu detruncat. Idem est V, 159. III. 155: ille manu contra telum tenet. ib. 344: sceptra manu retinet. IV, 216: manu dona ferre. Simili modo vocabulum »manus« apud Vergilium quoque saepe supervacaneum est, ut Aen. I, 187, 313, II, 320, 459, 530, 717, VI, 146, 835, VII, 688, VIII, 220, IX, 773, X, 264, 886, XI, 799, 816, 893, XII, 165, 442. — Val. II, 274: voce canens. VI, 212: voce precatur. Aen. IV, 680 sq.: vocavi voce deos. Val. IV, 170: fando nuntius, quo loco Schraderus et Baehrensius non male »quando« legunt. Aen. II, 361 sq.: fando explicet. IV, 333 sq.: fando enumerare. — Val. IV, 379: quos ore lacus, quae pabula (bos) carpsit. Substantivum »ore« in Aeneidis libris abundat I, 559, 614, II, 524, IV, 510, VI, 530, XI, 190, 535. — Val. II, 69 sq. »corpora« supervacaneum est. Meynckius[2]) »robora« refingit, sed iure Hirschwaelderus[3]) ei non astipulatus est. Aen. VI, 240 »pinnis« abundat.

Praepositio saepius apud Valerium redundat. Exempla exstant IV, 105: nocte sub hiberna. VII, 400 et VIII, 95: sera sub nocte. VIII, 288: die sub uno. VII, 338: primo sub aevo. ib. 418: te sub teste. VIII, 273: parvo in tempore.

[1]) Studien p. 339. — [2]) Quaest. Val. p. 36 sq. — [3]) l. l. p. 26.

Denique conferatur V, 473 sq.: siquando solebat memorare, ubi »quando« et »solebat« sibi contradicere videntur.

β. De figura ἓν διὰ δυοῖν.

A C. F. W. Müllero[1]) haec figura bene hoc modo definitur: Es ist diejenige Figur, die für ein sachlich als ungetheilt zur Erscheinung kommendes Objekt zwei copulativ verbundene Ausdrücke setzt, deren jeder einzelne seinem Begriff nach die Fähigkeit hat, als der zu bezeichnende ganze und auch als der ihm copulativ verbundne in der Wirklichkeit sich zu gestalten, und die sich so beide 'die bestimmtere Erscheinungsform, in der der andere auftreten soll, angeben. Auf dasselbe gehen Hermanns Worte aus zu Eurip. Iph. A. 65: figura haec locum habet in iis quae et coniuncta et disiuncta cogitari possunt, non in illis quae coniuncta absurda sunt.

Saepissime haec figura apud Vergilium et Valerium invenitur. Ne longus sim, ambagibus missis, quam brevissime geri poterit, singula Valerii exempla afferam.

1. Alterum substantivum adiectivi loco positum est.

I, 322: sed bella tibi terrasque timebam, i. e. bella terrestria. II, 123 sq.: talem diva sibi scelerisque dolique ministram quaerit avens, pro: scelerosi doli vel dolosi sceleris ministram quaerit. cfr. Aen. II, 106: ignari scelerum tantorum artisque Pelasgae. ib. I, 566: virtutesque virosque, i. e. virtute praeditos viros. Val. III, 168: occupat os barbamque viri, i. e. os barbatum. ib. 216 sq.: vos prodite, divae, Eumenidum noctisque globos, i. e. Eumenidum nocturnarum vel nocte grassantium globos. Similiter dictum est VII, 403: in mediis noctis nemorisque tenebris, i. c. nocturni nemoris. III, 237: audit fremitus irasque leonum, i. e. fremitus iratos leonum vel potius fremitus iratorum leonum. Idem fere est Aen. VII, 15: hinc exaudiri gemitus iraeque leonum.' Conferas Val. III, 696 sq.: non tamen

---

[1]) l. l. p. 300.

et gemitus et inanes desinit iras fundere, et V, 650: inridens strepitumque minasque Gradivi, i. e. strepentes minas Gradivi, vel minas Gradivi strepentis. III, 503: coepta refer paulumque nefas et foedera necte, i. e. si quid video, nefanda foedera. cfr. II, 173: infanda ad foedera. Sed Burmannus: »paulum nefas, inquit, quid sit non intellego. Si legero liceret: paulumque moras et foedera necte, res esset aperta, sed contra libros nihil tale audeo.« Ausi sunt Schenkelius et Baehrensius. Quos si sequeris, tibi explicandum est: necte foedera, quae moram faciant. Sed hac mutatione opus non esse mihi videtur, cum Valerius talibus dictis vocabulum »nefas« saepe adiungat. cfr. I, 747 sq.: sed tibi triste nefas fraternaque turbidus arma rex parat. III, 284: deflentque nefas et cuspidis ictus. I, 804 sq., II, 101 sq., II, 567 sq.: tacitosque dolos dirumque volutat corde nefas. Similiter Aen. IV, 563: illa dolos dirumque nefas in pectore versat, et Sil. VIII, 176 sq.: tacitas suspecta Lavinia fraudes molitur dirumque nefas sub corde volutat. — Val. IV, 333 sq.: ramis et viridi lauro, pro: ramis laureis et iis viridibus. ib. 430: talia prodigia et tales pro crimine poenas perpetitur, i. e. tam prodigiosas poenas. V, 256: prohibere minas praedictaque Phrixi, i. e. minas praedictas sive praenuntiatas. VI, 378 sq.: cum regina gravem nodis auroque securem congeminans, i. e. securem nodis vel bullis aureis instructum. Similiter Aen. I, 648: pallam signis auroque rigentem, i. e. signis aureis. ib. 259 sq.: hamis consertam auroque trilicem loricam, i. e. aureis hamis. — Val. VII, 93 sq.: odiisque urgete tyranni imperiisque caput, i. e. odiosis imperiis vel iniustis mandatis. ib. 168: (qui anguis) vellera tot spiris circum, tot ductibus implet, quae verba I. A. Wagnerus recte explicat: tot longis spiris, sinuosa volumina torquens. VIII, 135 sq.: (horror) fata domus luctumque ferens fraudemque fugamque virginis, pro: luctuosa fata vel fatalem luctum ferens et fraudulentam fugam. ib. 252: mox epulas et sacra parant, i. e. epulas sacrificales. ib. 295 sq.: tum vero clamorem omnes inimicaque tollunt gaudia, i. e. clamorem laetum vel gaudio plenum, sed inimicum. ib. 339: inter reges-

que procosque, i. e. inter regios procos. ib. 390: non furti nec amore nefando, i. e. non amore furtivo nefandoque.

2. Alterum substantivum pro genitivo positum est. I, 84: (quam) in campos et tuta tuli, pro: in tuta camporum, ut I, 74: tuta domosque petunt, i. e. quod Aen. XI, 882: tuta domorum. I, 541: sic fata, locos sic ipse fovebam, i. e. fata locorum. Idem est IV, 557 sq.: fata locosque tibi expediam. III, 15 sq.: tu mihi nunc causas infandaque proelia, Clio, pande virum, i. e. non: causas proeliorum pande proeliaque ipsa, sed, ut ex versibus, qui sequuntur, aperte elucet, causas nefandorum proeliorum pande. Similiter ib. 377: causas labemque docebo, pro: causas labis. ib. 317 sq.: necdum suboles nec gaudia de te ulla mihi, pro: gaudia subolis. ib. 679: quibus et virtus et spes in limine primo, i. e. ut I. A. Wagnerus adnotat, quibus prima virtutis documenta edendi spes ita propinqua est. IV, 641: auditi sonitus insanaque saxa, i. e. sonitus insanorum saxorum. ib. 453: iamque alis procul et sonitu mihi nota Celaeno, i. e. sonitu alarum. V, 60 sq.: reliquias socii defletaque miscent nomina. Quod cum, ut iam Bulaeus vidit, nomina sint pro viris ipsis, ut ib. 119, VII, 275, VIII, 461 sq., explico: reliquias defletorum virorum miscent. I. A. Wagnerus argutari mihi videtur, cum dicit: »cineres utriusque una reponunt urna, eidemque urnae utriusque nomen inscribunt. V, 236: tunc tibi regnorumque labes luctusque supersunt, i. e. mea sententia nihil aliud quam: luctus labis regnorum vel labefactorum regnorum. ib. 278: nox hominum genus et duros miserata labores, i. e. miserata duros generis humani labores. VI, 22 sq.: neque enim Aeetae promissa fidemque esse loco, i. e. promissorum fidem. VII, 89 sq.: non, ait, hos reditus, non hanc, Aeeta, dedisti spem Minyis, i. e. non hanc spem talis reditus dedisti. ib. 207: ossaque, quis tauri saevusque pepercerit ignis, i. e. ignis taurorum. ib. 307: contra saevus amor, contra periturus Iason urget, i. e. Iasonis perituri saevus amor.

3. Tertia species figurae, quae ἓν διὰ δυοῖν vocatur, est, cum unum substantivum determinatur altero substantivo, quod Germani praepositione aliqua vertunt.

III, 230 sq.: dolor virtusque subibit manus. Sic enim Heinsium secuti Schenkelius et Baehrensius pro »dolor virtute«, quae verba codex Vaticanus praebet, legunt. »Dolor virtusque« idem est quod virtus dolore excitata, quod colligi potest etiam ex Aen. XI, 732 sq.: o nunquam dolituri, o semper inertes Tyrrheni. Val. III, 688: sat lacrimis comitique datum, i. e. lacrimis pro comite fusis. VI, 611 sq.: gelu magnoque incanuit imbre Caucasus. Non gelu incanuit Caucasus, sed nive, in quam imber gelu mutatus est. Saepe praepositionem »in« alteri substantivo in reddendo addimus. Exempla habes III, 188 sq.: illos nova lux subitusque diremit frontis apex, i. e. nova et subito visa flamma, quae in frontis apice erat. ib. 426: circum humiles aras ignotaque nomina divum instituit, i. e. aras, quibus ignota nomina inscripta erant. VI, 396 sq.: aegida tum primum virgo spiramque Medusae sustulit, i. e. aegida, in qua erat Medusae caput. VII, 392: iam stabulis gregibusque pavor, i. e. gregibus, qui in stabulis erant. cfr. VI, 531 sq. VIII, 321: rates hostemque accedere cernit, i. e. hostem, qui in ratibus erat. Similiter Aen. VIII, 490: armati circumsistunt ipsumque domumque. Val. V, 395 sq.: ingentia namque castra alios aditus adque impius obsidet hostis, i. e. hostis, qui in castris est. Unum substantivum saepe causa alterius est. Exempla sunt IV, 86: fata deum et miserae solans incommoda vitae, i. e. incommoda a diis immissa. Fata deorum causa incommodorum erant. Similiter V, 2 sq.: Argolicus morbis fatisque rapacibus Idmon labitur, i. e. morbis, quos fata rapacia miserant. II, 475 sq.: principio morbi caeloque exacta sereno temperies, i. e. morbi, qui ex corrupta temperie orti erant.

Apud adiectiva quoque figura »hendiadys« invenitur, ut IV, 5 sq.: at comite immemores Minyae facilesque relicto alta tenent, quae verba, ut mihi videtur, optime explicantur: Minyae faciles ad obliviscendum vel facile obliti.

c. Figurae, quae detractione fiunt.

Tryph. (Walz. l. l. p. 745): ἔλλειψίς ἐστι λέξις οὐ κατὰ τὸ πλῆρες ἐξενηνεγμένη.

In sententiis breviter comprehendendis mirifice delectatus est Valerius, quo saepius magna obscuritas evadit, cum magno brevitatis studio abreptus legentibus plus ad intellegendum relinquat quam oratione exprimat.

De ellipsi verbi esse conferas Schmitzium l. l. p. 27—37, de nonnullis locis brevi vel abrupto loquendi genere obscuris ib. p. 37—44. Thilo quoque prol. p. XIX sqq. et Ph. Wagnerus Jahn. ann. l. l. p. 385 sqq. conferantur.

1. Enuntiati partes, maxime subiectum et praedicatum, saepe desiderantur.

Subiectum non raro ex iis, quae proxime antecedunt, vel ex universo nexu sententiae addendum est, ut II, 92: inveniunt, scilicet cives Lemni, cum sit v. 90: Lemni litore. IV, 102: cinxere, sc. incolae Bebrycii regni, quod v. 99 nominatur. cfr. VII, 179, Aen. III, 106 et 110.

Praedicatum ex sententiarum ratione addendum vel ex iis, quae proxime procedunt, repetendum est. Cuius generis ut pauca exempla afferam, conferas I, 578: strata Ceres, motuque niger sub praepete pontus, quo loco »factus est« poeta omisit. ib. 767: talia per lacrimas, ubi »dixit« facile intellegi potest. Sed talia usitata sunt. Videas quoque I, 355.

Obiectum, si pronomen est, saepissime apud poetas deest, ut Aen. II, 565, cum ea forma, quam cogitari necesse est, facile mente addi potest. Ex plurimis Valerii exemplis pauca afferam: II, 124, ut VII, 397, II, 199, III, 435, 459, IV, 32 sq., 460.

2. Comparatio quae compendiaria vocatur, reperitur his locis:

II, 226: notaque sonat vox coniuge maior, i. e. voce coniugis. IV, 126 sq.: maiora sanguine nostra fata Iovis, i. e. maiora quam fata sanguinis nostri.

d. Figurae, quae ordine fiunt.

Hoc loco sola de figura prolepsis [1]) disseram, quae evadit, cum adiectivum substantivo ita additur, ut eventus et effectus praedicati significetur. Exempla Valerii invenies I, 124 sq.: lentoque sequaces molliri videt igne trabes. »Sequaces« ab effectu verbi »molliri« dictum est: ut sequaces vel lentae fierent. ib. 591 sq.: intonuit donec pavidis ex aethere ventis omnipotens, i. e. ut paverent. ib. 664 sq.: (qui) maestae nemora ardua Pisae aemulus et miseros ipse ureret Elidis agros. Urendo ipso Pisa maesta et agri miseri facta sunt. III, 411: ubi puniceas oriens accenderit undas, si Burmannus recte vidit. Sol undas accendit, ut puniceae vel purpureae videantur. ib. 422 sq.: nitentia lympha membra novat. Abluit membra, ut niteant. ib. 554: intactas levis ipse superfugit undas. Uno saltu undas traicit, ut undae intactae maneant. IV, 167 sq.: disiectaque fudit lumina, i. e. ut disicerentur. ib. 333 sq.: illius excelsum ramis caput implicat, i. e. caput ramis ornat, ut id his ipsis excelsius fiat. cfr. Aen. XII, 162 sq.: cui tempora circum aurati bis sex radii fulgentia cingunt. Sine dubio figura prolepsis est quoque Val. IV, 338: perfusique sacro placati gurgitis amne. Perfundendo enim et lustrando gurges placatus est. ib. 454: (Harpyiae) foedata turbant pocula. Nescio utrum hoc loco prolepsis statuenda an explicandum sit: Harpyiae pocula foedant et turbant. Dubitatio manet eo quoque loco, qui exstat ib. 497 sq: inlisis stramina mensis foeda rigant, i. e. rigant stramina, ut foeda fiant, vel: stramina, quae inlisis mensis foeda facta sunt,

---

[1]) A plerisque sententiae figura praesumtio πρόληψις nominatur, quae fit, ut Quintilianus IX, 2, 16 dicit, cum id, quod obici potest, occupamus.

rigant. V, 99 sq.: mixtoque sonantem percutit ore lyram, i. e. percutit lyram, ut sonet, et ad lyram sonantem canit. VI, 532 sq.: frontem cum cornibus auxit hispidus. Aut cum I. A. Wagnero vocabulum »hispidus« pro »horridus« vel »passis capillis« intellegendum est, aut, quod magis poeticum, prolepsis hoc loco est: cornua fronti praefixit, ut hispidus fieret. VIII, 346 sq.: (videbis) illud carum caput ire cruenta sub freta. Mare eo cruentum fit, quod caput sanguineum in illud cadit. ib. 352: diraque levat maria ardua lingua, i. e. ut ardua sint vel in altos fluctus erigantur. Baehrensius prolepsin putat esse III, 136 sq.: ruit ille comantem ore facem supra maiorque apparuit ignis. »Comanti V inepte, inquit. Credas silvestrem aliquem hominem videre. Fax corpore superlapso comas spargit.« Ego puto id, quod Vaticanus praebet, restituendum esse, cum sententia loci haec sit: Incidit ille barbatus in facem, et ignis barbam apprehendens maior apparuit. Similis Vergilii locus invenitur Aen. XII, 300 sq.: occupat os flammis: olli ingens barba reluxit nidoremque ambusta dedit. Exemplum singulare prolepsis hoc loco afferendum est quod invenitur IV, 724 sq.: utque vel immotos ursae rigor invenit amnes vel freta versa vadis. Frigus septentrionale glaciem et tempestates non invenit, sed efficit, ut amnes glacie durentur et ut maria fluctibus immensis agitentur, ut legitur Aen. III, 285: et glacialis hiemps aquilonibus asperat undas.

Haec habui, quae de Valerii tropis et figuris dicerem. Omnes eius proprietates huius rei funditus indagare et enumerare nec volui nec potui, cum temporis angustiis impedirer. Magno autem gaudio afficiar, si commentatio mea ad Valerii proprietates cognoscendas paululum quidem proderit. Si viri docti, penes quos de his rebus iudicium est, me non omne tempus operamque totam perdidisse iudicabunt, alio tempore alias quaestiones, quae ad Valerii genus dicendi spectant, me tractaturum esse spero.

THESES.

I.

Nec Val. Arg. I, 445: tuis nam pendit in arvis, codicum scriptura mutanda est, nec Val. Arg. I, 449 pro lectione usitata »perderet« Heinsii vel Baehrensii coniecturae probandae sunt.

II.

In dicendi genere Valerius praecipue Vergilium, in re metrica Ovidium potissimum imitatur.

III.

Cum apud Valerium plures quam apud Vergilium Graecismi inveniantur, tamen hic in adhibendo accusativo qui dicitur Graecus illum superat.

IV.

Tacitum fere anno LIV natum esse verisimile est.

V.

Taciti vita Agricolae non est oratio funebris in libri formam redacta neque liber ad Taciti et soceri honorem restituendum scriptus, sed est opus historicum honori soceri destinatum.

VI.

Pelasgi, quod nomen de verbo πέλω et substantivo ἄργος non male derivatur, ii fuisse videntur, qui cultura agrorum ceteros praecederent.